



1576



V. O. W. C.

alte Nr. 304.

Expositio (betr. "Fuscinus").

n. 11 weiteren Schriften  
(Nr. 11 betr. Trident. Concil.)

N. VI. 59.

SCHOLASTICORVM  
ACADEMIAE  
VVITEBERGENSIS AD OM-  
NES PIOS CIVES ECCLESIA RV M,  
quæ unam & eandem communi consensu cum  
ipsis amplectuntur ac profitentur doctrinam,  
ex scriptis Prophetis & Apostolicis repe-  
titam in libro Confessionis Augusta-  
næ & reliquis publicè ap-  
probatis,

EPISTOLÆ DVÆ, TERTIA  
ET QVARTA.

Quarum PRIORE explicantur initia, funda-  
menta & progressionis incendiij Flaciani, & co-  
natus Improbi ipsius FLACII, in conuel-  
lenda paulatim Ecclesiarum nostra-  
rum doctrina.

ALTERA recitatur uera narratio de actio-  
nibus Legatorum Saxoniorum &  
Megalensium.

Addita sunt autem Responsa, quæ dedit Legatis  
PHILIPPVS MELANTHON.

VVITEBERGÆ M. D. LVIII.

SCHOLASTICORVM  
ACADEMIAE  
VITBERGENSIS AD OM-  
NES PARS CIVIS ECCLIAE RVM  
DUM ANNI & EANDEM COMMUNE CONSENSUM  
IPLIS AMPLIANTUR ac PROPRIETATE DOCTRINAE  
EX SCRIPTIS PROPHETIS & APOSTOLICIS REPER-  
TUM IN LIBRO CONFESSIOIS AUGUSTINAE  
NE & RELIQUIS PABICE APTA  
PROPRIAS

EPISTOLAE DVAE, TERTIA  
ET QVARTA.

QVINTA PRIORE explicatur in ista fundat  
mentis & progrediones incedit Flacianus & co-  
naris inprobi ipsius FACIL in conuul-  
lenda parulam scholasticum nostrae  
tum doctrinae.

ALTERA tractatur de narratione de actione  
in his legationibus saxonico-rum &  
Megalensium.

Adversus non respondens, per deus legatis  
PHILIPPVS MELANTHON.

VITBERGAE M. D. LVIII.



SCHOLASTICI ACADE-  
MIAE VVITTEBERGENSIS PIIS  
OMNIBVS ET RECTE SEN-  
TIENTIBVS S. D.



Idimus nuper Epistolam scriptam à Fla-  
cio ad quendam, in qua tantum sibi ac-  
cessisse animi hisce aliquot annis inso-  
lenter iactitat, ut nec reformidet quen-  
quam, nec recuset uel cum omnibus si-  
mul congregari ac depugnare. Tantos  
unde conceperit spiritus, obscurum non est uel imperia-  
tis ac rudibus prorsus. Tumet enim inflatus opinione  
adepti & confirmati quasi Pontificatus noui in Eccle-  
sijs nostris, & euectus in sublime blando applausu fasci-  
natae multitudinis, iamque eminens, fulcitur ac fouetur,  
imò impletur magis magisque ac distenditur uariè mixtis  
afflatibus undique acclamantium, sequè admirans, & noui  
regni insuetum solium, & studia atque applausus circum-  
fusi agminis, superbe despicit sanos ac cordatos omnes,  
conculcat tyrannicè reliquos, quos aut obfuturos suspi-  
catur crescenti gloriae, si supersint, aut impediuisse ex-  
peritur, ne eniteretur eò quo contendit. Et authorita-  
te ea, quam raptam deceptae multitudinis suffragijs us-  
surpat, condit noua dogmata ac leges nouas, interdum  
arbitrio priuato non adhibitis alijs, interdum re com-  
municata ac deliberata cum senatu suo, in quo domi-  
natur Regulus, cuius si astuto & crudeli paruisset con-  
silio, solidiore iam olim ac firmiore potiretur regno, nisi  
mirum extincto aut sublato illo, quem unum & solum  
impedire dixit Regulus, quae molirentur. In quo regno

A ij ipse

ipse quidem Regulus, loco illustriore uersaretur. Nos uerò, qui sequimur uocem Christi Saluatoris ductu Præceptorum nostrorum, & membra sumus, noscè esse profiteamur Ecclesiæ & Academiæ VVittebergensis, nos (inquam) tales oppressi Flacianæ factionis tyrannide, quæ in Deum blasphema est, in Ecclesiam seditiosa, in pios & sanctos mendax ac cruenta, iugum seruitutis immanius multò sustineremus, quàm complecti quisquam animo suo potest. Hæc obscura minime sunt.

Alterum obscurius est, nec à quouis, cui uasrum, subdolum ac uersipelle ingenium Flacij, uelatū ingentis hypocrisis, perspectum non est, aut non exploratè comperta sunt negocia, deprehenditur facile, scilicet, quibus artibus irrepsit initio in uulgi animos, & euasit ad hoc fastigium, quibus item maiestatem hanc tueatur, & retineat partam gloriam, & foueat acquisita ac deuincta sibi studia multitudinis. Has artes etsi intelligunt rectius & norunt exactius qui cum eo uersati familiariter aliquandiu, discesserunt ab eo, postquam nefarias imposturas, & fraudulenter structas technas, & conatus improbos conuellendæ Ecclesiæ, ac ueritatis opprimendæ persenserunt, tamen agnoscere eas cuius mediocriter aduertenti, & repetitam inde usq; ab initio telam mendaciorum, quam texuit, retexenti, & cum mulatas obliuione dissonas inter se ac discrepantes sententias conferenti facilimum est. Appetiuit regnum in Ecclesia, quod scripta eius omnia declarant euidenter, id se consequi non posse, nisi turbata Ecclesia et Præceptoribus euersis præuidit. Hæc impedimenta ut amoueretur, præmisit initio antequàm receptus haberet, quibus confideret, cohortes chartarum, quasi uelites quasdam

dam, quibus assumpto fictitio nomine occultè pungen-  
do Præceptores, auctoritatem eorum paulatim uellere  
care ac carpere cœpit, & pertentare aditus. Mox oc-  
cupata munitione, ut illa Capra Aesopica, loco fretus,  
manifestè cœpit maledicere, nomenq; suum professus  
submit alias instructas somnijs, rumusculis, hinc inde  
captatis, suspicionibus cœcis & falsis, epistolis aut sur-  
reptis furto, aut confictis, aut calumniose detortis ad  
labefactandos Præceptores. De his omnibus consu-  
latur tota series chartarum eius.

A talibus initijs ad tetra & notoriè falsa crimina  
confingenda, deprauationes scriptorum ac mutilatio-  
nes, ad calumnias manifestas ac ueteratorias, ad occul-  
tas & nefarias molitiones contra Præceptores, & fœdera  
ac conspirationes cum ijs, quos in suam pertraxerat sen-  
tentiam progressus est. Extant enim scelerata mendacia  
Flacij de receptis Missis priuatis, de cæremonijs impijs  
restitutis, approbatis & concessis. Extant atrocissimæ  
& falsis, calumniæ huius de articulo Iustificationis cor-  
rupto, qui explicatius quàm aliàs unquàm uoce et scrip-  
tis Præceptorum hisce annis repetitus est, de reddita  
impijs Episcopis iurisdictione. Extant deprauationes  
ac mutilationes sententiæ scriptæ à Præceptoribus de  
doctrina Iustificationis, & consiliorum de obedientia  
debita Magistratui, de quibus speramus Præceptores  
nostros ex autographis omnibus, quæ ad manus sunt,  
Ecclesiæ ueram & integram historiam omnium delibe-  
rationum commemoraturos esse contra commenta sce-  
lerati Turbatoris istius, quem Ecclesiæ harū regionum  
inde usq; ex Illyride profugum exceperunt & aluerunt,  
ut esset qui turbatas concuteret. Nec libet nobis ex im-

A iij puris

puris & obscœnis chartis eius decerpere ac persequi o-  
tam mendaciorum ac calumniarum seriem, quarum  
aliquæ tetra ac uirulentæ, aliquæ scurriles, omnes qui-  
dem impudentes & falsæ, authoris arguunt ingenium,  
artificia & conatus. Sunt enim chartæ eius quas in præ-  
ceptores emisit, uelut hortiaconitis dense fruticantes at-  
que cicutis, Liliorum alicubi ac rosarū raris intermican-  
tibus flosculis, subter quibus latent reptantq; aspídum  
& uiperarum uaria genera. Latet plus uirulentia & ter-  
rimum errorum, quàm appareat & intelligatur à  
non satis intentis & cautis, Atq; ut iterum & semel di-  
catur, ex calumnijs tandem & mendacijs crudelissimas  
rum & planè abominandarum criminationum finxit  
ac produxit agmen. Hoc præclaro stipatus ac mu-  
nitus satellitio irrupit in Ecclesiam triumphabundus,  
& præceptoribus qui authoritate antecellebant petitis  
primo, cœpit in eos conflata ex mendacijs, ac calumnijs  
exasperata uibrare ac conijcere tela rabidi oris pestilen-  
ti uomitu. Præceptoribus apud imperitam plebecu-  
lam penè confectis, doctrinam adortus est, cœpitq;  
nunc hæc nunc illa tacitè primum arrodere, mox pa-  
lam & aperte labefactare, ac mirabilium sophismatum  
ac præstigiarum nexibus & perplexitatibus inuoluere,  
Imitatus exemplum Diaboli, qui odio filij Dei defecit  
à Deo, & factus est hostis Dei, ac horribili superbia in-  
uidit filio Dei τὸ ὁμοῦσιον τῷ πατρὶ καὶ τῷ ὁμοῦμον δόξαν.  
Ita igitur obsecutus Flacius stimulis atq; impulsui inci-  
rantis Diaboli, cœpit primo disputare contra diuinitas-  
tem filij Dei, negans reperiri locum in sacris literis, in  
quo filius Dei uocetur λόγος, negans testimonium repe-  
riri, quo ostendi possit eum uocetur λόγος, reiiciens de-  
claratio-



clarationem, qua antiquissimi & in Ecclesia ἀξιόπιστοι testes de doctrina ab Apostolis tradita explicarunt hoc, quod filius Dei uocatur εἰκὼν τοῦ πατρὸς, καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, & hanc referens falso in Basilidem horribilium furorum autorem impudentia tanta & scelere tanto, quantum æstimare nulla mens humana potest.

Sed calliditatem astuti hominis considerent p̄ij. Aluit monstri aliquid iam olim, illud edere stantibus & florentibus præceptoribus nequiuit, & auctoritatem metuens eorum, & destitutus patrociniis ac satellitio suffragatorum. Continuit sese itaq; aliquandiu, & quod parturijt, arte pressit. Tandem adeptus occasionem & optatam diu, & quæsitam ac captatam sollicitè, & suo oportunam instituto, sub tempus mutationum, quæ secutæ sunt funestum & triste bellum Germaniæ, scilicet communicatas in his regionibus deliberationes cum Theologis de conformandis harum terrarum Ecclesijs in rituum externorum ordine ac consuetudine, hoc quod de præceptoribus diu uersarat animo, cepit experiri argumento specioso & ad uulgus plausibili, somnijsq; ac suspicionibus ita fucato atq; adornato, ut aliqua specie ueri imperitorum animos facile occuparet. Nec dissimulauit quæ moliretur: Non enim acquieturum sese aperte scripsit, nisi adimeret Præceptoris sui τὸ αὐτοῦ ἔφα, id est, ne deinceps ulla dictorum & scriptorum eius esset auctoritas, quòd ad se illam transferre studeret. Cum ergo perfecisset mediocri successu apud imperitos, quod primo tentarat, magnis sese agminibus nouorū satellitum muniuit, quos partim literis, partim diurnis nocturnisque discursationibus, ijsq; plane monstris

strosus, quales sunt Enthusiastarum aut furore percitos-  
rum, tota Germania perreptata, coram in suam pellex-  
it sententiam, & nunc retinet in officio, aliquos errore  
coniunctos, quem nouorum mendaciorum præstigijs  
subinde auget & confirmat, aliquos malicia & Præcep-  
torum odio, aut cupiditate crescendi, aut studio nouan-  
di aliquid in Ecclesia διαθήκω διαυδέρω & αυτοίς, ἢρ διέ-  
θετο πικρὸς τῆ γυναικί, μήτε πύπην μήτε πύπιδαι, μήτε δ' ἀκνύρ  
μήτε δ' ἀκνέδαι. Hoc cōfusus satellitio, mox aggressus est &  
alterum, quod etsi præsciuit fore difficile & arduum, ta-  
men concepti erga Præceptores odij uirulentia, & ama-  
bitionis magnitudine uictus, experiri uoluit in quam-  
cunq; caderet partem. Callidè initio dum insectabatur  
& suggillabat Præceptores, scripta eorum publica au-  
toritate recepta & approbata admirabatur & prædica-  
bat. Ea enim si protinus inter initia cum ipsis inualisset  
autoribus, & nouarum sparsisset opinionū semina con-  
tumeliose, ut faciebat Osiander, deterriturus plurimos  
& à se alienaturus fuisset, qui hanc ueræ doctrinæ nor-  
mam sequuntur & magnificiunt. Quare tum demum,  
cū conculcatis Præceptoribus sese confirmasset, expe-  
riri in doctrina, quod in ipsis autoribus effecerat, &  
paulatim nunc hæc nunc illa exagitare atq; abijcere, ue-  
teratorie eludere, confringere uiolenter ac cōminuere,  
blasphemè corrumpere cœpit. Tantisper enim donec  
uigerent scripta Præceptorum, & fidem retinerent atq;  
autoritatem pristinam, ac colerentur & usurparentur,  
frustra se autores oppugnare ipsos, quæcunq; adhiberet  
& machinaretur, frustra se monstrosos foetus, quos par-  
turiebat, enixurum sentiebat. Si enim improuidis atq;  
à se persuasis animis hominum opinionem de publicis  
scriptis

scriptis conceptam exemisset, ipsosq; de manibus libros excussisset, suis repositis, tum demum serio triumphaturus, tum uenena quæ presserat, plenis faucibus eructaturus fuisset. Qua in re admiramur maxime uersuti hominis & occulti atq; insidiosi incogitantiam, quod ab illis non abstinerit scriptis, quæ Reuerendus uir D. Lutherus uoce sua & scriptis Ecclesiæ commendauit. Sed & mirabili consilio filij Dei Domini nostri Iesu Christi custodis in Ecclesia ueritatis suæ, & uindictis gloriæ suæ, oportuit Scelerati hominis sceleratas & diu in Ecclesia impune usurpatas, miroq; artificio occultatas molitiones prodi atq; aperiri Ecclesiæ in ea doctrinæ parte, quæ summa & præcipua constituit fidei nostræ fundamentum.

Deformatis itaq; Præceptoribus contra diuinitatem filij Dei disputare cœpit ea, quæ supra commemorata sunt. Sed considerent rursus pii, quibus artibus rem instruxerit & gesserit. Intellexit homo callidus rem motam si non procederet, & autor proderetur, non caritatem periculo. Contra hoc sese ut præmuniret tuto receptu inficiationis, ad quam cum desperat defensionis omnis præsidium, audacter & impudenter confugit tanquam ad sacram anchoram, subornat VVestualum quendam pastorem Barbiensem. Eum certo iudicio delegit ac prætulit alijs manipularibus suis, quod artibus Vlisseis ac Sinonijs præclare instructum, norat posse suo exemplo hypocriticæ subiectionis specie, Præceptorum uero optimo & ad imposturas incautissimo, minimeq; suspicaci, & alioquin facili in credendo amicis aut amicorum saltem titulo accessuq; ac compellatione familiari se insinuantibus, gnauius imponere cæteris. Huic

B formus

formulam præscribit Epistolæ, quæ extat ad Philippum mittendæ, aculeatam admodum atq; ironicè subfannatricem, & non tam in Philippum contumeliosam, quàm blasphemam in ipsum filium Dei, de cuius diuinitate & maiestate res agitur. Iubet ut sua manu descriptam Epistolam mittat ad Philippum. Alterutrum enim secutus rum certò confidebat, ut aut Philippo ambiguis nexibus capto atq; irretito in materia difficilima ac periculosissima, rueret autoritas Locorum Communium, quam petebat, autore ipso iam prostrato ac penè confecto calumnijs ipsius & mendacijs: aut si declinaret structos dolos Philippus, & res non succederet, ipse tamen colata culpa in Barbiensem sese retraheret & extricaret. Agit causam improvidè susceptam Barbiensis seriò, & responsum consequitur opinione Flacij circumspectius ac durius. Terretur Flacius lecto responso, & autographum atrocibus minis repetit, atq; insuper cogit Barbiensem scriptis literis culpam in sese recipere, si quæ Barbiensis affirmat, negat Flacius (pari fortasse impudentia uterq;) uera sunt. Si uera non sunt, maiori pœna dignus est uterq; ob Diabolicos ludos in re tanta. Epistola cum responsione Philippi edita est, Flacius opposita refutatione futili & frigida autorem se Epistolæ esse negat, dissimulatis altissimo silentio argumentis, quibus conuincitur, dissimulato statu causæ, & mendaci uanitate elusis illis quæ obijciuntur, quod facturum eum esse semper sumus arbitrati.

Etsi uerò probatione alia nulla est opus, præter eam, quam præfixa editioni illi continet Epistola, nimirum quòd Barbiensis præscriptam sibi à Flacio Epistolam iurauit, & ante paucos dies idem V Vitebergæ re-

petita

petita priore asseueratione confirmauit, quascunq; obij-  
ciat contrarias illius Epistolas Flacius, quibus se suspici-  
one liberari fingit, & quod te scis Flaci autographum  
reperiuisse à Barbiensi per Illustrem quendam Domi-  
num, tamen addemus & alias. Sunt uiui testes, quibus  
tu Epistolam tuam esse confessus es, inter quos est uir  
fide dignus Theodoricus Artopœus, cuius tu opera ali-  
quandiu in collectione illius tui aurei operis historici  
usus es, qui propter semina manifestarum blasphemiarum,  
quæ sparsisti, & odiorum uirulentiam, postquam  
tibi acriter restitisset, abs te discessit, ne pollueretur, non  
contagio opinionum tuarum, quas cum intelligat, abo-  
minatus est, sed consuetudine tua. Scis quæ cum uiro  
optimo & integerrimo Godescalco disputaris, & ab eo  
quomodo sis conuictus, Scis quale scriptum miseris ad  
Reuerendum uirum Doct. Morlinum, qui si publica-  
res illud, sese tibi contradicturum respondit. Et harum  
opinionum specimen habent chartæ, quas in Schuuenck-  
feldium edidisti, quas producent in lucem ij, ad quos  
pertinent. Deniq; & tua id non ualde inficiatur refuta-  
tio, in qua bellum illum foetum tuum bellè excusas. Et  
Epistola tua Barbiensis plena est tam amaris & acerbis  
scommatis ac subsannationibus, tam sophisticè cogita-  
tis elusionibus eorum, quæ de filio Dei & sacris literis  
tradita, & ueterum sunt explicata monumentis, ut satis  
appareat scriptam esse à uersuto & uastro homine, qui  
de his diu multumq; cogitauerit. Nec facile nobis per-  
suaserit aliquis, aut uenire talia in mentem Barbiensi,  
domi magis occupato hircis mulgendis et fodiendis bo-  
bus, aut præpingui capite ceruisia implendo, & post-  
quam ebrietate tumuit, in cellis & compitis agyrtarum

B ij

more

more magno spiritu contra bonos de te declamitando, quam cogitatione de tantis rebus: aut studij eum tantum impendere lectioni scriptorum ueterum, etsi natura astutus satis est & uaser, et tui similis, scilicet διγλωσσος, ψευδης, φαυλος, βδελυος, si quæ de eo narras uera sunt, quæ tamen probanda tibi, excusanda illi relinquimus, in quem simile periurij & blasphemix crimen redundabit, & talis esse censebitur, qualem se esse probabit.

Sed frustra tecum contendimus, quem inuictum & inexpugnabilem faciunt multiplices receptus, & tot ac tam lubrica effugia, tam sinuosa ac perplexa diuerticula ad mendacia. Fingis enim texiscæ mendacia ex mendacijs, nec cogitari ulla tanta potest impudentia, quam usurpare uerearis. Recitarem exempla, nisi libri tui suppeditarent innumera, & proferremus alia de contubernio tuo, si delectaremur tantopere insectatione tui, ut te delectarunt nefariæ insectationes Præceptorum ac Scholæ nostræ, de quibus creuisti & saginatus es ac ditatus, & quibus solis consistis, aleris ac spiras, quippe quem iam solæ calumniæ, mendacia & sycophantiæ multiplices sustentant. Deficeres animo, si mentiri desineres & calumniari.

Sed ad rem reuertamur. Quæ te malum egit insania Flaci, ut immani conatu auderes bellum inferre filio Dei? Cur negas reperiri locum, qui filium Dei appellet λόγος in sacra Scriptura? Quo furore tradita de primo capite Iohannis in prima Ecclesia testimonia aspernaris ac reijcis? In qua sancti patres Prophetiis & Apostolicis scriptis accuratè perquisitis, & exploratis testimonijs, quæ ab Apostolis demanarant, graui auctoritate & uigilantia summa conseruata, constituerunt  
λόγος

λόγῳ ἔσῃ ὑποστάσιον, & significare hypostasin distinctam  
 à Patre, ἐνοῦντες μὴ τῆ ὁυσία ὡσαύτῃ δὴ καὶ ἀξία καὶ ὁμοιμία καὶ  
 δόξῃ τῶν πατέρων καὶ ὑὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα: διαζωῦντες δὲ ταῖς  
 ὑποστάσιμ, εἰπω πρὸς ὅποιον καὶ ἰδιότησιν ἐκάστης τούτων ὁυ-  
 σιωδῶς ὑφειώσῃς ἢ ὑπάρξῃ ἰδίᾳ ἀμορίσως νομῶντες, sicut hæc  
 Græca antiquitas eruditè explicauit, Cur negas inueniri  
 testimonia declarantia, quare tribuatur filio appellatio  
 λόγου, nisi quod & uoces filij Dei, quem Deum esse ne-  
 gas, qui inquit, θεοῦ οὐδέ τις ἑώρακε πρόποτε, ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ  
 ὡρ εἰς τὸν κόλπον τῷ πατρὶ, ἐκείνος ἐξηγήσατο, & alias Apo-  
 stolorum, atq; in primis antiquissimorum & probato-  
 rum doctorum, quorum explicationes sequitur & usur-  
 pat Ecclesia, ut Basilij, Gregorij, Theodoretij, Augusti-  
 ni & aliorum testimonia tibi pro nihilo sunt, qui Deum  
 tibi fingis tuo arbitrio contra expressa patefacti uerbi  
 dogmata. Cur uerò explicationes eorundem de Logo  
 uerbo & imagine maliciōsè ac sceleratè refers in Basili-  
 dem autorem horribilium furorum, qui ne specie quis-  
 dem aliqua ad has alludent? Vocat Paulus in Corin-  
 thijs & ad Colossenses Christum εἰκόνα τῷ πατρὶ, Et in  
 Epistola ad Colossenses ἀπαύγασμα τῆς δόξης ὁ χαρακτῆρ  
 τῆς ὑποστάσεως τῷ πατρὶ. Hæc pñ Doctores declararunt  
 omni tempore hoc modo, quòd pater sese intuens & se-  
 se cogitans gignat imaginem sui, cui essentiam suā totā  
 communicat ἀδιασώτως. Illa imago genita à Patre, quæ  
 non est aliquid euanescens, sicuti euanescunt nostræ co-  
 gitationes, quæ rerum cogitatarum imagines sunt eua-  
 nidæ, Sed coæternum aliquid patri & permanens in  
 æternum ὁυσιωδῶς καὶ ὑποστατικῶς, ὁ ὁμοῦσιον Patri, Hæc  
 igitur talis imago est ille μονογενὴς filius Dei, qui est se-  
 cunda persona diuinitatis, qui assumpta certo tempore

B iij

natura

natura humana in utero uirginis Mariæ factus est uicti-  
 ma pro peccatis generis humani, Et hunc filium scri-  
 bunt uocari λόγος, tūm quòd sit imago patris, sed ὁμοῦ-  
 σις & ὑποστατική, sicut sermo noster imago est cogitatio-  
 onum nostrarum, sed euanescens, tūm quòd sit persona  
 quæ locuta est ad Ecclesiam. Sic inquit Basilius: Δία τῶν  
 λόγων, οὐ εἰκὼν τοῦ γεννησάντων ὅλον ἐν αὐτῶν δεικνύει τὸν γε-  
 νησάντα, οὐδ' ἐκείδεν ἀπομερίσας τὸ τέλος ὑπάρχων κατ'  
 ἑαυτόν, ὡς καὶ ἡμετέρος λόγος ὅλων ἡμῶν ἀπεκονίζει τὴν ἐννοί-  
 αμ. Et alibi: πατὴρ υἱοῦ γεννητῶς, ὡς νοῦς λόγου πατὴρ. Grego-  
 rius inquit: λόγος δὲ οὐ ὡς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς  
 νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαρτῆς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ  
 σωματικῶς καὶ τὸ ἐξαγγελικῶς. De data lege Clemens Alex-  
 andrinus inquit: Διὸ φησὶν ἡ γραφή, ὁ νόμος διὰ μωσέως ἐδό-  
 θη, οὐχὶ ὑπὸ μωσέως, ἀλλὰ ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ λόγῳ, διὰ μωσέως δὲ τὸ  
 δοῦναι αὐτῷ. Et omittimus enumerationem senten-  
 tiarum Theodoretī Augustini, quæ in primis claræ sunt,  
 & aliorum plurimorum. Quo furore reijcis dictum  
 Psalmi: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris  
 eius omnis uirtus eorum, Quod tota antiquitas, & secu-  
 tus antiquitatem Lutherus accommodat ad tres perso-  
 nas diuinitatis. Qui si in uiuis esset, seueritate iusta com-  
 pesceret blasphemum os tuum.

Sed inquis, Habet & Filius actum reflexum, &  
 Spiritus sanctus, & gignunt hi cogitationes, & multæ  
 sunt cogitationes patris, καὶ πολλοὶ λόγοι. Ergo Diij sunt  
 infiniti. Vide quàm blasphemus & planè Diabolico En-  
 thymemate irrideas & exagites totam Ecclesiæ de Tri-  
 nitate doctrinam. In hac ne pergas perseverare senten-  
 tia te obtestamur propter tuam salutem, aut si tuæ te sa-  
 lutis cura non afficit, & abiecasti spem de temetipso om-  
 nem,



nem, parcas imbecilibus, quos talibus præstigijs turbari  
necesse est. Cohorrescimus toto pectore considerantes  
argumentationes tuas, & precamur Deum, ut sancto  
suo spiritu corda custodiat nostra, ne concipiant admit-  
tantue blasphemias tantas. Deum scimus inquirendum  
esse in doctrina certis testimonijs diuinitus tradita, in  
qua se patefecit sicut uult agnosci & coli. Docent autem  
sacræ literæ, unum esse Deum, & tres ὑποστάσεις ὁμοούσιες.  
De filio dicitur, quòd sit unigenitus filius patris, & λόγος  
& imago patris, & fulgor gloriæ, & character substantiæ  
patris. De Patre hoc non dicitur, nec de Spiritu sancto,  
& totum hoc de filio Ecclesia explicans propter appella-  
tiones λόγου, Ἐικόνοσ καὶ χαρακτῆροσ τῆσ ὑποστάσεωσ, uti-  
tur piè, sanctè ac reuerenter declaratione sumpta de cog-  
itatione patris sese intuentis & imaginem sui gignen-  
tis, in quam transfundit totam suam essentiam ἀμορίσωσ.  
Reliqui λόγοι θεοῦ uel sermones Dei non uocantur filius  
Dei, nec dicitur de patre, quòd gignat plures filios, aut  
de filio, quòd gignat alios Deos, sicut tu ratiocinaris  
maliciòsè & blasphemè contra patefacta testimonia. De  
Spiritu sancto dicitur, quòd procedat à patre & filio,  
non gignatur aut gignat. Hæc testimonia in sacra scrip-  
tura tradita & explanationes piorum & ueterum doctos-  
rum congruentes ad illa testimonia, constanter amplex-  
imur ac retinemus, & colimus unum æternum ac uer-  
um Deum conditorem rerum naturæ, qui est pater do-  
mini nostri Iesu Christi, & Iesus, Christus filius, & Spiritus  
sanctus, & ad hunc Deum dirigimus preces & inuo-  
cationes nostras. Cur ab hoc patefacto uerbo tu disces-  
dens, & à rectis, perspicuis ac simplicibus explanationi-  
bus uetustatis, ludificaris filium Dei tam ironicè & sus-  
perbè

perbè? Habent & filius & Spiritus sanctus actus reflexos, & sunt plures λόγοι patris atq; cogitationes &c. Cur turbas pias mentes, & unā tecum implicas perplexitatibus inextricabilibus? Cur sceleratè conuellis & labefactas, quæ tot seculis Ecclesia uno pectore consensuq; amplexa & una uoce professa retinuit constantia tanta, ut nouari in illis nihil fuerit passā unquā inde usq; à temporibus Apostolorum, & contra blasphemos hostes filij Dei defendit, deniq; de quibus tanta diligentia, tam acri studio ueritatis indagandæ & explicandæ in ueteribus Synodis disputatum ac cōstitutum est? Nec uereris tamen, iudicijs Dei καρδιωγυσσῶν, & doctorum ac piorum omnium, horribili furore & obliuione spretis, has explicationes usitata sycophantia tua tribuere Basilidi. An neminem legisse existimas, quæ Epiphanius de Basilide commemorat? Aut putas truncos aut stipites esse & fuisse ueteres in Ecclesia Doctores omnes, & recentes Lutherum & reliquos, qui aut nihil intellexerint horum, aut cognoscere non studuerint? Refutarunt Schuuenckfeldij deliria, sanctæ & piæ memoriæ Lutherus & Præceptores nostri in scriptis longè euidentiùs & clariùs, quā abs te præstabitur unquā, non petitis tuo exemplo refutationum neruis ac præsiidijs ex Samosatenicis & Serueticis blasphemijs, quas si quisquam alius, ipsi semper acerrimè detestati sunt ac confutarunt, ut extaret ac conseruaretur doctrina de Trinitate in Ecclesia perspicua & incorrupta.

Quā impudenti, & audacter abs te contra tuam conscientiam conficto, & tamen, ut tibi uidetur, ualde bello mendacio, eludis quod obiectum fuit, de reprehensa forma precatōnis nostræ. Reprehendisse te  
inquis

inquis adulatoriam formulam. Vide quomodo hæc congruant. Multo ante quam de ullo bello, aut de mutationibus ullis suspicio posset aliqua concipi, tu coram tuo Præceptore, qui & locum meminit & tempus, cum quidem quorsum tenderes suspicari ille tunc non posset, reprehensa formula precationis, qua utimur directæ ad Deum patrem & filium & Spiritum sanctum, cum tota Ecclesia ἐνοῦντες τὰς τρεῖς ὑποστάσεις, ὡσαύτῃ τῆ ὀυσία, ὄντως καὶ ἀξία καὶ ὁμοῦμια, καὶ δόξη, significationem dedisti, tum te animo uersare, quæ nuper agere cepisti apertius, scilicet ut deiecto de æterni patris solio filio coæternis, & excluso prorsus Spiritu sancto, unicum hunc portum, ad quem pauca & fluctuans conscientia respicit ac confugit, & in quo consistit & acquiescit, euerteres. Præclare Basilii de sanctorum patrum inuocatione dicit, λόγον ἴδεις αὐτοῖς πατέρες, λόγον θεοῦ προσεκάωσω, Ὁ σῶν λόγῳ τί πνεῦμα. Talis cum fuerit inuocatio Ecclesiæ inde usque ab initio generis humani, tu Blaspheme Scurra cur filium & Spiritum sanctum honore inuocationis spoliās? Ex his satis apparet, quam diu agitaris animo quæ prompsisti tandem, neque inficiando aut dilues hæc, aut te tueberis Scelerate mendax.

Si ergo hanc inuocationis formulam adulatoriam uocas, quam in Locis Communibus expressam tunc reprehendisti, graue nimis est & sceleratum. Si uocas adulatorias preces, quibus Ecclesiæ harum regionum post factam mutationem sese atque Ecclesiam, & turbatum Reipublicæ statum, & Magistratus ac suam salutem Deo commendarunt, & conseruationem piæ ac salutaris doctrinæ in his Ecclesijs & regionibus, ac pacem tranquillam contra pericula, quæ impendebant, petuerunt,

C

runt,

runt, uide quò te contamines scelere. Si Deum esse credis, & κατὰ τὸ γινώσκω, ac iudicem eorum quæ fiunt, & maxime eorum, quæ fiunt in Ecclesia (quod te uix credere arguit acerba ista scurrilitas tua, quæ maior est, quam ut imbecillitatis humanæ uideri possit, ac non potius occupati à Diabolo animi) Si (inquam) credis hoc, certò statuas, quòd tibi consistenti ad seuerissimum tribunal Dei iudicis, de acerbo isto & atroci crimine, accusantibus te Ecclesijs harum terrarum, in quibus absq; omni dubio sunt multa millia piorum hominum, qui Deum uera fide in agnitione & fiducia filij Iesu Christi rectè inuocant ac colunt, & sunt templa Spiritus sancti, reddenda erit ratio. Quantum scelus est fingere tot pios & sanctos homines abuti ad ludificandum Deum ea re, quæ summa est, scilicet Inuocatione Dei, & accedere ad Deum eo animo, ut Epicureo cachinno Deum rideant, quod tu Scelerate facis? Quæ maior calumniã impingi tot innocentibus Ecclesijs abs te potuit? Qualem fingis Deum, cui offeruntur adulatoriæ istæ preces, ut nominas? etsi eo ipso, cum infamas eos, qui pacem petierunt, quem Deum tu colas, incogitanter prodis. Quales fingis Ecclesias harum regionum, à quibus illæ preces, de quibus diximus ad Deum assidue effunduntur? Quo spectant scurriles istæ irrisiones? Sed quid faceres aliud. Negare quod fuit obiectum, non potuisti, conscij ac laborantis animi impeditus terrore ac consternatione. Ne ergò faterere confestim tantum scelus, comminisci te oportuit aliquod κῆμα λόγου, quod imperitis offusum uel suspicionē dilueret, si culpam nō amoliretur. Id uerò si caruisset calumniã & mendacio, pro tuo sese foetu non facile probasset, qui uera dicere nescis, Ita cumulas scelus

lus scelere, mendacium mendacio. Cùm enim antea fi-  
 lium Dei honore diuino spoliatum, inuocatione scilicet,  
 qui summus est, abieceris, nunc blasphemias elusus-  
 rus, tot Ecclesias contumelia afficis omnium maxima,  
 collato in eas falsæ imò Epicureæ inuocationis crimine  
 atrocissimo, de quo Deum, qui solus intelligit & iudicat  
 preces piorum, fore iudicem ne dubites. Sed tamen in-  
 terea quo tuæ res sint loco, & quò redacta sit consciens-  
 tia, hæc euidenter testantur, ἐνταῦθα ἡ δὲ πάντα τὰ ἀνθρώπων  
 νόσθη, κακοῖς ὅταν δέλωσι ἰαδοῦν κακὰ, ut à Poeta Græco  
 dicitur. Hæc commemorauimus prolixius, nō ut disputa-  
 taremus tecum, sed tanquàm testes doctrinæ à Præcep-  
 toribus non genitæ, sed ex Prophetis & Apostolicis  
 scriptis ac testimonijs purioris antiquitatis optima ac  
 sanctissima fide repetitæ nobis ac traditæ, quam Deo  
 iuuante eadem fide tueri incorruptam contra rabiem  
 hostium omnium & talium sophismatum præstigias co-  
 nabimur. Volumus autem extare & notum fieri toti  
 orbi Christiano testimonium hoc nostrum de scriptis  
 Præceptorum nostrorum, & de nostro in his conseruan-  
 dis ac propagandis studio, quæcunq; tu cudas interea  
 ac moliaris, ut proijcias ac conculces omnia pariter, qui-  
 buscunq; uel præstigijs inuoluas, uel ironijs exagites,  
 uel calumnijs deprauas, quæ rectè explicateq; descripta  
 sunt. Cumq; res agatur non Præceptorum nostrorum,  
 sed filij Dei & Ecclesiæ, prorsus non dubitamus, Deum  
 molitiones tuas ac similibus repressurum esse tandem  
 grauius ac seuerè, & ueritatis suæ lucem atq; adeò illa  
 scripta, quibus ueritas cœlestis illustrata est, defensurum,  
 cùm dixerit: Spiritus meus qui est in te, & uerba mea,  
 quæ posui in ore tuo, non discedet ab ore tuo & ore se-

C ij

minis

minis tui inde usq; ab aeterno: Idq; assiduis anxijs & serijs gemitibus precamur à Deo & precabimur perpetuo. Sunt libri Præceptorum nostrorum uelut nitidissimi ac cultissimi horti, pulcherrimis salutaris ac ueræ doctrinæ flosculis exornati ac distincti magna uarietate, & rigati riuulis dulcissimarum consolationum atq; exhortationum. In eos irrupisti tu uelut feras & rabiosus Sus, sepe perfracta uiolenter, id est, improbè & turpiter deserta tua statione, ac uastare eos cœpisti, flosculis aut arrosis, aut ferali dente rabidè concisis, aut furenter protritis, aut subrutis polluto rostro, & limpidissimis fontibus uerarum consolationum fœdè conspurcatis. Intellegunt hoc & fatentur pij omnes, & mediocribus præditi iudicijs, quibus hoc curæ est, ut Suem istum fustibus cæsum abigant ab Ecclesijs nostris. Nec te impunè grassaturum perpetuo in uinea Domini tuo arbitrio confidas, etiamsi Præceptores iugularis tuos. Excitabuntur diuinitus, qui aduersabuntur conatibus tuis.

Sed ad refutationem reuertemur tuam, in qua cum labores anxie, nec quò euadas, aut quomodo te extrices, pertentatis omnibus uis, inuenias, reuerteris ad usitatos uomitus conuiciorum & mendaciorum, cumq; σοφα φάρμακα reperias nulla, quæ sceleratæ tuæ causæ illinas, manifestè sycophantica assumis. Deici inquis de solio filium Dei ab illis, qui Antichristum pro gubernatore Ecclesiæ agnoscunt. Hoc conuicio, quos notes non intelligimus. Si Præceptores perstringis nostros, quid obsecramus manifestius est, quàm te mentiri sceleratè & nefariè? Extant tot publica scripta Præceptorum, tot priuata consilia, quæ tamen in omnium manibus uersantur, tot disputationes & habitæ & scriptæ  
de iuris

de Iurisdictione Episcoporum, quatenus illa reddi Episcopis debeat. Vnum profer, in quo aliter restituatur eis, quàm ea conditione, si in doctrina nobiscum consentiant, & suo rectè fungantur munere. Et ut iterum dicamus: Profer Scelerate Veterator unicum testimonium uel minimum, quo conuincas constitui à nostris Antichristum gubernatorem Ecclesiæ, aut subijci iudicio Pontificum & Episcoporum, & ijs, qui his obnoxij sunt, cognitionem causæ & controuersiarum nostrarum. O sceleratam tuam impudentiam, Sic enim nominare iure possumus, etiamsi Hyperbolus non minore impudentia idem mendacium illeuerit articulis Smalcaldensibus, qui cum hoc bello commento, ne qua periret uobis guttula effusæ uirulentia, etiam in Tomos operum Lutheri relati sunt, qua cum laude Hyperboli, qua commendatione operum Viri præstantissimi ac summi foedè commaculatorum hoc impudenti mendacio, iudicabit posteritas, si qui nunc in uiuis sunt, cœcutiunt prorsus de præstigijs fascini Flaciani.

Experiantur Pontificij utri & fregerint & frangant ipsorum autoritatem magis, An hi, qui idolomaniam Pontificiam & horribiles doctrinae corruptelas, quibus tota regni Pontificij maiestas nititur, neruis illius idolatriæ concisis, profligant ex Ecclesia, & rectè populum de Deo & de Mediatore filio Dei, qui est caput Ecclesiæ, de uera Dei inuocatione, de iustificatione coram Deo, & de alijs docent, Inter quos principem locum obtinent Præceptores nostri: An uerò tu, qui cum perstringis aduersarios, nulla eorum dogmata attingis, quæ non intelligis, sed portentosas & obscœnas libidines Pontificum, ambitiosa certamina, immanita & inau-

C iij dita

dita scelera, quæ si Germaniæ nunquam innotescerent,  
beatior esset futura & sanctior, profers & exagitas, atq;  
hac commemoratione polluis castos multorum animos,  
Interea uerò in his regionibus sparsis seminibus  
horribilium furorum ac dissensionum, atq; admotis fa-  
talium flammaram facibus turbas, miscescq; & collidis  
inter se Ecclesias nostras, & labefactatis dogmatibus ad-  
ducis in dubitationem non satis confirmatos, & aduersa-  
rios hostes nostros in Ecclesias abs te foede laceratas  
ac misere distractas, & flagrantes intestinis discordiis ex  
facibus calumniarum tuarum, incitas & armas. Quid te  
obsecramus delectant calumniæ tales? Toties hoc & à  
Luthero piæ memoriæ repetitum esse scis, & scriptum à  
Præceptoribus reliquis qui adhuc uiuunt, nō sese dimi-  
caturus cum Episcòpis de principatibus & iurisdictione,  
si amplectantur & profiteantur unam nobiscum do-  
ctrinam, & emendent Ecclesias. Non sese quarere im-  
perium aut potentiam in Ecclesia, sed ut rectè doceatur  
populus de Deo, et ritè administrentur Sacramenta. Fac-  
cile concessuros sese, ut Episcopi retineant potestatem  
quam habuerunt, si munus suum rectè administrent, &  
reddant Ecclesijs lucem doctrinæ purioris, & uera ex-  
ercitia fidei & inuocationis. Hæc cum sint uerissima &  
certissima ex omnibus quæ extant scriptis, ex quibus tibi  
demonstrare ea quæ eis impegisti crimina impossibi-  
le est, & ex autographis omnium deliberationum, quas  
tu reddidisti suspectas, & ex tot testificationibus editis  
hisce annis ab ipsis præceptoribus, aut reprime utru-  
lensum & maledicum os tuum, & mentiri tandem ac ca-  
lumniari desine, aut ueris testimonijs planum facito,  
quod in æternum non perficies, quas ab Antichristo  
susceperint leges, quas impias & ante condemnatas re-  
uocas



uocarint & restituerint corruptelas Ecclesiae harum terrarum, quando, & quae sua scripta, & quas Ecclesias Antichristo subiecerint, nec ludas usitato more tuo calumnijs, praestigijs, ueteratorijs detorsionibus, figmentis, rumusculis, somnijs. Si quid habes conscientiae (quod tamen ut credamus, minime nobis persuadere quisquam poterit) non potes non expauescere cogitans atrocitatem tot mendaciorum, quae in Praeceptores tuos & has Ecclesias euomisti, quibus euidenter & quidem ipsorum oculorum testimonio refragantur & reclamant ipsae Ecclesiae harum terrarum omnes, omnia scripta & consilia Praeceptorum. Oculis cernunt omnes mentitum te esse omnia & mentiri, qui quae apud nos fiunt & facta sunt, coram intuentur & audiunt. Quare qua alia opus est refutatione his apertis mendacijs, quam oculari demonstratione eorum quae tuis figmentis contraria & fiunt & semper facta sunt, & decreta in deliberationibus Theologorum ac responsa sunt? Qua in re praecipue elucescit praefracta & pertinax impudentia tua, praesertim cum de his omnibus extent & in publicum promulgata scripta Praeceptorum & priuatarum deliberationum capita. Sed quid faceres aliud, cum propositum tibi sit euertere Praeceptores tuos quibuscumque modis & artibus?

Prouocas nos ut mendacia tibi tua declaremus, qua in re miramur audaciam tuam. Sunt mendacia tua meridiana luce clariora. Quae tu enim dicis, nec reperiuntur usquam in his Scholis & Ecclesijs, nec audiuntur: Nec reperta unquam neque audita sunt, & refellunt te scripta priuata & publica Praeceptorum de doctrina, de consilijs & actionib. suis. Prodeat ex toto choro pastorum in his regionibus unus, prodeat (inquimus) unus, qui ausit dicere de corruptelis doctrinae, quas in Praeceptores

tores nimis scelerate confinxisti nimis magna cum calamitate Ecclesiae, uel minimam uerbulo uno à quoquam cuiquam ex illis non propositam aut callidè obtrusam, sed indicatam saltem fuisse, aut qui ipsos præceptores sonuisse diuersum uel in parte minima à perpetua doctrinæ norma hisce annis ausit affirmare, denique qui præter rituum externorum, suo genere non impiorum, dierum festorum, & cantionum ordinem ac uestitum, de quo solo præcipua & maximè turbulenta fuerunt uociferationes ac dimicationes tanquam de re capitali, aliud postulatum fuisse nomine Illustrissimi Principis queat conuincere. Sed cum percensere omnia sit nimis longum, & tuæ chartæ omnes nobis præsto non sint, quas tantum non facimus, ut diutius concedamus eis locum, quam ubi perlectæ semel sunt, reuocabimus te ad illam tuam ἀνακεφαλαίωσιν quæ extat, cuius exemplum etiã aliquãto ante missum, à te ad ministros Hamburgenses, & postea sparsum in colloquio Vuormatiensi uidimus. In eo scripto affirmamus omnia, quæ præceptoribus impegisti, aut impudenter conficta, aut maliciose mutilata, aut calumnijs insullissimis deprauata, nulla uera esse. Hæc quia à sese Præceptor tuus grauitè constanter ac uere, atque ut fieri decuit cum indignatione ac commotione iusta & conuenienti depulit, inclementer eum excepisse & tractasse uociferaris Legatos, quibus tu hypocrisi deceptis tua, & conductis ad tentandas, quas scelerate semper simulasti conciliationes, nunquam premonitum oppressisti, sperans inopinato hoc strategemate extorsurum te & obtenturum quæ uelles. Manifesta atrox & mendax calumnia est, quam de particula *Sürnemlich* maliciose confingis. Profer ex omnibus illis scriptis, quæ  
contra

Librum Augustanum edita extant, & reliquis uel priuatis uel publicis, unum locum, quo conuincere hoc possis uel probare, saltem prebitam aliquam ansam fuisse calumnijs tuis in speciem uerisimilem. Quod cum te non posse certo sciamus, & hanc & similes calumnias tuas seuera animaduersione & supplicio dignas censemus, non refutatione. Doctrinam de iustificatione corruptam esse dicis, quod fortasse alicubi non reperitur particula SOLA in libris Preceptorum, etsi re ipsa omisam esse alicubi nunquam demonstrabis, uel si rumparis & crepes. Qualis enim sit ista calumnia, tu ipse consideres. An doctrina corrumpitur, si quis utatur Pauli explicatis uerbis: Gratis fide iustificamur sine operibus legis, quæ id ipsum quod altera propositio, Sola fide iustificamur, expressius multo & euidentius ostendunt, Imo alteram illam declarant. Aut igitur ostende ueterator hæc Pauli uerba falsa esse, quæ in omnibus suis scriptis Præceptores accuratissime inculcant & exaggerant, cum beneficia filij Dei amplificant, & hæc sola fide accipi docent unâ cum Paulo, & particulam GRATIS illustrant, cum his nitatur basis & fundamentum iustificationis nostræ contra delirya commenta aduersariorum; Aut ostende quod sit reale discrimen, quæue contrarietas realis in istis duabus propositionibus: Gratis fide iustificamur sine operibus legis, & Sola fide iustificamur, quibus utrisque promiscue utuntur Præceptores, & semper usi sunt in omnibus scriptis, quotquot extant: Aut si neutrum potes ostendere (ut poteris nunquam) comprime tandem mendax, uenenatum & maledicum os tuum, et uiperinum uirulenti cordis liuorem compesce ac frena. Oportet te fateri, seu uelis seu nolis,

anoniab

D

Præceptor

Præceptori tuo præcipue deberi hoc, quod propositio  
Sola fide iustificamur, rectè explicata et illustrata est, cū  
ab alijs longe aliter intelligeretur & in alienum prorsus  
sensum detorqueretur. Diserte enim hoc semper urfit, et  
quidem citra iactantiam uehementius ceteris, Fide iusti-  
ficamur, id est, gratia Dei recipientis nos propter meri-  
tum & obedientiam filij Iesu Christi, sine ullo merito  
nostro, & beneficium hoc accipitur & applicatur nobis  
SOLA FIDE. Ab his diuersum uel in puncto minis-  
mo cum tibi ostendere in omnibus scriptis Præceptoris  
publicis & priuatis, nullis exceptis, sit impossibile, qui te  
non sceleratum Sycophantam, & quietis Germaniæ at-  
que Ecclesiarum piarum turbatorem esse iudicat, con-  
tumelia afficit filium Dei, in cuius faciem tu, miserè la-  
cerando sanctissimam sponsam Christi Ecclesiam uirus  
lentissimis & falsissimis criminationibus optime meri-  
torum Doctorum, immaniter conspuis.

Quam tu scis alienissimam esse ab Antinomorum  
furoribus, & pio grauiq; consilio ex ueris firmisq;  
rationibus ac testimonijs sacrae scripturae sic conditam  
esse definitionem Euangelij, in qua fit mentio prædica-  
tionis poenitentiae, imò quam scis repugnare prorsus  
perniciosis Antinomorum persuasionibus, quibus  
tu maxime patrocinaris, Sunt enim manipularium  
tuorū (præcipui) Eam ut aliquam aspergeres labè Præ-  
ceptori tuo, non uereris fingere, quod confirmet furo-  
res Antinomorum. Id qua facias impudentia & ma-  
licia intelligimus, quibus coneris rationibus nondum  
scimus. Sed indigna hæc sunt quæ recitentur. Plagas me-  
rentur non refutationem. Et tecum sunt multi uera eru-  
ditione

ditione, pietate atque integritate excellentes uiri, quibus te uel opponi uel comparari turpe est, qui si errore talia gignis & defendis, erroris te conuincant et res cetera docebunt: Si, quod certius est, malicia, maliciam etiam tuam tandem agnoscent, proferent & compe-  
scent.

Triumphare te uerò audimus de criminationibus tuis tanquam certis & exploratis ex scripto quodam, in quo reperiantur quædam ad marginem annotata manu Præceptoris tui, quæ arguat, fuisse ea quæ liber continet recepta autoritate & approbata iudicio eius. Qualem habeas librum, nec compertum nobis est, nec magnopere curamus, qui ueras de omnibus doctrinæ partibus sententias ex ore ipsius excipimus, & de publicis scriptis, quorum se profitetur autorem, decerpimus ac discimus, non ex clandestinis furtoque surreptis, aut supposititijs, aut fraude corruptis & maliciose mutilatis, neque ab ipso conscriptis, sed aliunde natis, & censuræ ipsius subiectis. Sed esto sanè sint in illo, de quo gloriaris, codice quædam consignata manu Præceptoris, quid uel inferes, uel conuincas? nihil aliud profectò, nisi te & impudentem ac maliciosum, & uenenatum ac nefarium, & mendacem ac sycophanticum magis non tulisse alterum multa secula, & furere te odio Præceptoris tui, & cupere extinctam ueritatem doctrinæ cœlestis, & hoc moliri, ut quassata & labefacta Ecclesia teque tuamque Tyrannidē stabilias quibuscumque prætextibus ac prestigijs, quæcumque interea fiant de perturbatis à te & in anxiam dubitationem coniectis conscientijs. Hoc enim quale est, quod iste διαλεκτικώτατος καὶ ἀναλυτικώτατος Flacius argumentatur, qui Analytica

D 4 tica

tica absorpsit & Elenchos deglutit, Librum sub Philippo  
pi manu fuisse, ideo à Philippo comprobatum esse. Quæ  
te Sycine Dialectica hæc Τεκμήρια esse docuit, ex quibus  
grauissimæ & capitales potius criminationes intendes  
rentur exitiales toti Germaniæ, uel orbi etiam terra-  
rum.

Ac primum de libro pronunciare non possumus,  
qui sit aut cuiusmodi, quem nunquam uidimus. Nam  
impium esse eum credere, quia tu dicis, aut à te condem-  
netur, facere neque possumus neque debemus. Et si tuis &  
complicum tuorum iudicijs stare deberent Ecclesiæ nos-  
stræ, præterquam quòd hæc omnia loca penè uasta iam  
& deserta essent, ne Loci quidem Theologici Præceptoris  
nostri in manibus amplius uersarentur, qui à te ita le-  
uis & inutilis liber iudicatur, ut ne reperire quidem possis  
in edito contra Menij Apologiam libro tuo, cui eum  
comparares, nisi Vocabulariū ex quo, quem abiectissimū  
omnium nunc maxime piper uestire & tabernas  
uel cloacas instruere, ut qui à nemine legi mereatur, om-  
nes sciunt. Quid si contra in re obscura aliquis sic ratio-  
cinetur: Non esse illum malum librum, qui à te scelerat-  
issimo & ueritati cœlesti & præceptoribus nostris &  
quieti communi & patriæ nostræ inimicissimo homine  
condemnetur. Nihil autem saltem intolerandi in eo in-  
esse, cum uiri optimi & sanctissimi Præceptoris nostri  
manus in eo alicubi compareat, quem sic norunt Eccle-  
siæ nostræ, ut ad impia & intoleranda scripta manum  
adhibere ille non soleat, neque ut adhibeat ullis modis  
adduci possit, cuius opera hæctenus Deus ad ueritatis  
patrociniū atque explicationem, & deprauationum at-  
que corruptelarum huius exterminationem utitur. His  
tamen

tamen rationibus aduersus te non utemur, ne autoritas  
tibi opponi queraris eam, quam tu ut euertas totis  
iam XII. annis omnibus uiribus & opibus atq; copijs  
tuis laboras, Preceptor autem noster XL. annorum in-  
gentibus laboribus & præclarissimis meritis suis compa-  
rauit. His igitur missis, saltem ea parte qua manus huius  
conspicitur, non erit ille liber intolerandus. Sed hoc ta-  
men posito, esse illud scriptum tale quale tu uis haberi,  
quæ hæc est consequentia *διαλεκτικώτατε καὶ ἀναλυτικώ-  
τατε* Placi. Manus Philippi in libro apparet, Ergo totum  
librum probat? Nam primum non fuisse ei omnia pro-  
bata docent illæ notationes ipsius & emendationes de  
quibus uos ipsi indicatis. Deinde oblitum ne te suscipia-  
bimur consuetudinis Magistri tui ueteris, quem in tuis  
ipse putidis & Monachatu olentibus scriptis sæpissime  
expertus es. Quam multa ei offeruntur, quæ in facilitas  
te naturæ suæ ille emendare incipit & suas expolitiones  
infarcire, cum sæpe inchoatam talem operam abijciat,  
aut etiam si absoluat, tamen scriptum non probet, quem  
morem ipsius non tantum omnibus qui in Academia  
nostra uixerunt & nunc uiuunt, sed tibi etiam ipsi notis-  
simum esse non potes negare. Si ita argumentari libet,  
quomodo tibi non in mentem uenit de Megalensibus  
illis tuis? in quibus haud paulò maius fieret operæ pre-  
cium. Cur non eadem opera persuades, accepisse Præce-  
ptorem conditiones tuas, & confessum de crimine,  
quod in illo libro manum ipsius demonstrare possis?  
Quem illum nequaquam recepisse, neque nunc etiam  
criminationes impudentissimas tuas & falsissimas in se  
recipere, & scis & doles. Quis nescit Philippo Melan-  
thoni ex tota ferme Europa mitti scripta multiplicia,

D iij quæ

quæ cognoscat, iudicet, emendet, & in hac senectâ magis quam antea, quæ tota ferè occupatur censuris & emendationibus talibus. In scriptis ergo huiusmodi si manus ipsius alicubi compareret, non ideo & de toto scripto iudicium. An probat librum qualemcunq; is, qui inter legendum sui commonefaciendi causa uel delet aliquid, uel inserit, uel notat, præsertim in talibus scriptis quæ ad deliberandum proponuntur.

Perpetuo Præceptor tuus cum mittuntur ad eum libri, ut perlectos recognoscat & emendet, aut exponat de singulis sententiam suam, percurrit acceptos libros, & annotat quædam in suos usus, aut quæ sublata uult, inducta litura tollit, aut mutat aliqua quæ requirere maiorem perspicuitatem existimat, tandem si probat libros, adiicit in fine: Mihi Philippo scriptum placet, uel, **probo scriptum.** Si non probat, sicut aliàs aut obscuritatem orationis qua res explicantur, aut rationem tractationis, aut in utrisq; & rebus & uerbis maiorem perspicuitatem desiderat, abiicit inchoatam emendationem, & uel de integro de singulis articulis suas scribit sententias, uel quæ probet aut improbet percenset. Tales libri & publicè à principibus, & priuatim à priuatis missi non pauci sunt adhuc in Bibliotheca Præceptoris tui. Talem esse illum librum, quem habere diceris, si quem habes, certo certius est, nimirum quem reiectum & neglectum à Præceptore sustulit aliquis tuorum, qui liber capita exposuit, de quibus iudicia & sententiæ Theologorum expetitæ sunt ac requisitæ.

Atq; ut nos Scholastici te Magistrum Dialecticæ artis admoneamus, cuius Aristotelicam scientiam tibi ara



bi arrogas, cum discipulos tuos nihil scire docueris,  
Hoc recte concluderis: Manus Philippi in libro ap-  
paret. Ergo sub manu huius liber fuit, id est, censuræ  
huius subiectus fuit. Comprobationis enim & auto-  
ritatis atque iudicij consignati alia argumenta esse o-  
portet. Sed nemo nescit, quam illæ sint liberæ nota-  
tiones lateq; pateant, quæ uarijs de causis & multipli-  
ci consideratione in ijs scriptis, quæ censuræ nostræ sub-  
iiciuntur, usurpari solent, aliàs uerba, aliàs res, sæpe mo-  
dus tractationis causam his afferre solet, sæpe nobis non  
alijs aliquid notamus, sæpe plura concipiuntur quam  
exprimi scriptura aut chartæ spacium capere potest.

Quando uerò una litura opus est, alijs parcius, alijs  
quentius notationes suas infarciunt. Quæ si Flacio tri-  
buno ferente monumenta suffragationis atque auto-  
ritatis nostræ in rebus maximis haberi pronunciarique  
debent, in quas angustias uel quos carceres potius in-  
cludentur omnes qui de paruis & magnis rebus con-  
sulantur, & publici & privati Præceptores uniuers-  
si: ipsi etiam latori hæc lex crucem adferret. Tibi uerò  
homini in hac palestra multis iam annis exercitatissimo,  
ne hoc quidem ignotum esse potest, cuiusmodi scriptio-  
num testimonijs planum fiat hunc aut illum librum iu-  
dicio alicuius comprobari, nimirum ijs subscriptionibus  
quæ uel ad calcem uel ad initium adijciuntur cum ex-  
pressionem iudicij eius qui subscribit manifesta. Sed te  
hæc doceri nihil opus est, qui ipse quam largissimus  
fuiſti & accusator & subscriptor talis his annis XII.  
Etiam emissarius ad subscriptores colligendos, & con-  
quisitor horum unus omnium strenuissimus, in multis ne-  
gocijs,

gocijis, quæ an ad salutem aut exitium patriæ nostræ uer-  
gant, res doceat, quæ patria nostra nimis liberale hospiti-  
um tibi externo præbuit, ad se euertendam, Cuius ca-  
lamitate cum externus sis, tantum afficeris, quantum uis-  
cini tui Turcæ calamitatibus nostris afficiuntur. Sed si-  
cut unguis in ulcere sanari nihil uis neq; coalescere, etsi  
minus tibi succedere iam Dei beneficio illa res uidetur,  
& tui subscriptores ad quinque uiratum sunt redacti, uel  
breuem potius manipulum.

Sit igitur hæc summa, si aliquod scriptum impium  
proferre poteris, in quo sua manu Præceptor tuus no-  
men suum suffragationis causa subscripserit uel, solum  
ut fieri solet, uel cum adiecto & expresso iudicij sui testi-  
monio: aut quod cum approbatione uel solius Præcep-  
toris uel aliorum etiam sit Ecclesijs harum terrarum  
obtrusum, tum effer te & triumphas. Illis sycophanticis  
præstigijs de inserta scriptura ne utere. Si potes nullum,  
ut non poteris in æternum, & in optimos ac sanctissi-  
mos uiros incurristi ac sæuisti tantopere immani crude-  
litate, distracta Ecclesia periculosisimo tempore sine  
fundamento, ex solo priuato codice, censuræ aliorum  
subiecto, aliena manu scripto, & aliunde nato, in quo  
alicubi manus Præceptoris tui conspicitur, qui cetero-  
rum Collegarum censuram nunquam subiit, nec prolata-  
tus est unquam in publicum, nec ullis propositus, mul-  
tò minus impositus, deniq; qui priuatus codex mansit  
semper (quæ fateris omnia) cogites obsecramus ex hoc  
scelere, in quam incideris culpam, quantum conscientia  
tua sustineat onus ac periculum. Considerent pñ, qua  
affectione erga optimè constitutas & ante tumultus tu-  
os quietas Ecclesias patriæ nostræ, turbas tantas moue-  
ris.

ris. Quid putas cogitatuos pios, qui clamoribus per-  
culsi ac seducti tuis, haecenus iniquius de Præceptoribus  
bus & senserunt & loquuti sunt, ubi producta fuerint  
de Autographis responsa Præceptorum tuis mendacijs  
contraria, & se perfida seductione sui ingratos optimo  
& innocentissimo uiro fuisse cognouerint.

Atq; hoc loco operæ precium fuerit de fundamen-  
tis causæ tuæ denuo moneri. Explicantur enim profectò  
hoc ipso quæ supra scripsimus, totam illam uanissimis  
rumusculis inquietorum hominum & furto subtractis  
literis atq; scriptis, quæ partim deprauata sint & mutila-  
ta, partim nulla suffragatione eorum quos accusas un-  
quam comprobata, id est, calumnijs & mendacijs con-  
sistere. Primum fatemini ipsi inter uos uariantibus sen-  
rentijs exempla illa furtiua uestra fuisse, quæ emissarij  
uestri de illis rebus uobis confecerint, & nihilo tamen  
minus in hunc quasi murum aheneum atrocissimæ illæ  
accusationes uestræ collocantur, & deducuntur hinc  
omnia illa, quibus odiosos & contemptos nostros face-  
re contenditis. Deinde quàm multa in deliberationibus  
proponuntur, disputantur, quærentur, quæ tamen ne-  
quaquam decernuntur omnia? Imo quid opus esset de-  
liberationibus, si quæ ad deliberandum proponuntur,  
simpliciter fieri uellent homines, & nulla dubitatio in  
mentem ueniret, quæ deliberationum causa est & ma-  
ter? Ita igitur saepe fit, ut deliberationum capita durios-  
ra, consultantium fide & prudentia inculpara efficiantur,  
cuius rei uestratia etiam exempla extant. Quare de  
actionibus, quas tu quasi Pontifex nouus condemnas,  
non nisi ex ijs scriptis statui atq; pronunciarî potest &  
debet, quæ communi consensu eorum, qui interfue-  
runt,

E

runt,

runt, sunt comprobata, illamque approbationem non de  
insertionibus notationum certarum, sed iustis subscrip-  
tionibus planam fieri oportet. Talia scripta tu & Flac-  
ciani tui neque habetis neque habere potestis. Nam quid in  
singulis conuentibus actum & comprobatum sit com-  
munibus suffragiis atque subscriptionibus, eorum omnia  
um *αὐτοῦ γραφὰ* magno bono Ecclesie & Reipublice,  
quæ nunc à uobis accusantur, extare cognouimus, con-  
seruata in Bibliotheca sanctissimi & laudatissimi princi-  
pis Georgij Anhaltini, quem tu Flaci mortuum iam ex-  
quisitis conuicijs & calumnijs crudelibus laceras contra  
diuinas & humanas leges, & in sanctissimam animam  
fruentem iam absque omni dubio consuetudine coele-  
sti & ijs omnibus bonis, quæ filius Dei præparauit uera  
fide in illum ex hac uita decedentibus, In hanc igitur  
sanctissimam animam flagiciosa mendacia tua euomis,  
& quantum in te est pios manes conturbas, beatissimam  
quietem Diabolico furore ipsis inuidens. Neque  
satis tibi est omni conatu uirium & copiarum tuarum  
pios homines qui in uiuis sunt impetere, sed etiam tan-  
quam Hyena sepulcra ingrederis, ut mortuorum car-  
nibus tuam crudelitatem expleas. Quod etsi in talem &  
tantum principem & tam bene de religione & republi-  
ca meritum impune hætenus facis, non sine maximo  
probro gentis & sanguinis Germanici, non tamen De-  
us inultum patietur te illis Titanicis & Cyclopicis ma-  
nibus atque cruentis digitis tuis inuolare in faciem co-  
æterni filij sui, & his non tangere sed sceleratos & impu-  
ros ungues in pupillam oculi ipsius impingere. Nam  
hunc Principem uere fuisse inter eos, quos pupillæ  
oculi Dei scriptura comparat, & quidē unam eximiā  
pupillæ

pupillam, in promptu esset demonstrare, si laudatio huius  
ius institueretur. Sed ei neque laudatione neque defen-  
sione nostra opus est, qui qualis fuerit monumenta scrip-  
torum editorum gustum aliquem præbere possunt, ijs  
qui ignorant. Et periculum est, ne tibi Flaci aliquando  
sceleratæ mentis carnificina horribilem speciem huius  
sanctissimi uiri à te crudelissime lacerati proponat. Quæ  
nunc quidem contra eum, qui omnem mortalitatem  
exiit, in altum spuis ore impurissimo & blasphemus, ea  
in barbam tuam crudelissime latro uniuersa recident.  
Nam ille uiuens quantū te et complices tuos narratione  
edita de his rebus simplici & breui conturbarit, respon-  
siones ad eā uestræ docere possunt, *ἰσχυρόν γὰρ τὸ ἀληθές.*  
Nunc uero de mortui bibliotheca Deo uolente produ-  
centur ea, quæ aduersus criminationes tuas apud omnē  
posteritatem testimonium dicant, & eternam refutatio-  
nem omnibus, qui considerare uoluerint, suppeditent.  
Nam quid quoque loco actum decretumque suffragatione  
nostrorum fuerit, paulo post explicabitur orbi terra-  
rum, de quo omnes homines constituent, quid à te &  
tuis administris pro patria & religione actum iam mul-  
tis annis fuerit, & qualia ea sint, quæ tu & mentione li-  
bri illius & omnibus machinis maliciæ tuæ infamare  
studuisti, & nunc hoc denuo ab initio agere diceris, ut  
ueterem telam tuam retexas ordiens ab ouo gemino, ne  
per te furialem administrum cōsistant unquam calamita-  
tes patriæ nostræ. Vide quam scelerate & improbe,  
quam maliciōse ac nefarie, quam crudeliter & Diabolice  
agas. Ex scriptis quæ nec orta à Præceptorib. tuis esse  
scis, neque ab illis approbata unquam neque proposita alijs,  
neque à quoquam recepta, denique quæ alio fine ad Theos  
E ἦ logos

logos relata non fuere, nisi ut de illis consulerentur, & de quibus extant perspicuae censuræ Præceptorum & sententiæ, intentas eis atrocissimas & falsissimas criminationes, horribili tumultu ceu procella aliqua concussis Ecclesijs. Et quo scelestius aliud cogitari non potest, cum toties illi te mentitum esse ostenderint, sintq; de sua innocentia testati prolixè & uerè contra calumnias & mendacia tua, tu tamen audes hoc conari immaniter & scelerate prorsus, ut cogas eos agnoscere & in sese recipere crimina illa, quia abs te impacta sunt, scilicet, ut de Diabolicis mendacijs tuis et de crudeliter uastata Ecclesia in Germania, & de Præceptoribus iugulatis triumphes. Considerent pij omnes, quod maius possit cogitari scelus? Cum, ut præ te fers, Ecclesijs consulere uoluisti, quibus sceleratis consilijs ac molitionibus tuis & pestilenti opera non fuit opus: à quibus scelerate desertata statione tua discesseras, ut occupata arce munitissima, allatreres quos uelles, audacter & impune: quæ tuam nunquam requisierunt opem (neq; enim Ecclesijs hoc tribues nostris, quod unus & item alter curiosorum & male feriatorum hominum fecit, qui falsis, furtiuis, suppositicijs, deprauatis & mutilatis, nec receptis & comprobatis unquam scriptis te *συνεσθ' εντρα* & flagrantem ante odio Præceptorum incitarunt & armarunt, quicunq; fuerint illi) deniq; quæ Dei ductu & beneficio immenso, studio uero, cura & uigilantia Præceptorum nostrorum, Deo iuuante, eandem constanter & intrepide doctrinæ uocem, etiam inter hostiles impetus & armatorum crudeles comminationes, & aliquanto post sequitas conspirationes publicas & priuatas contra Præceptores sonuerunt: Cur id non tuo loco, rebus rectè  
explo

exploratis, & post cognitionem exploratam, communis  
catis cum ipsis Præceptoribus, studijs & consilijs tuis, &  
eo, quo decuit, modo, scilicet, ijs quæ certo constaret  
agnoscere Præceptores, subiectis iudicio Academiarum  
& Ecclesiarum, non fraude conquisitis suffragatoribus,  
ut fecisti, conatus es? Docuissent te res cognitæ, præsti-  
tum fuisse in deliberationibus priuatis à Præceptoribus  
ea omnia summa fide & diligentia, quæ salutem & tran-  
quillitatem Ecclesiarum complectuntur, nec prætermis-  
sum fuisse quidquam in ulla parte, quod ad ueritatis ex-  
plicatæ lumen, & normam, Ecclesiarum stabilitatem, æ-  
terni Dei gloriam pertineret. Sed quibus persuadebis,  
nisi amentibus & delyris prorsus, salutem te spectasse  
Ecclesiarum potius, quàm ut oppressis confectisque Præ-  
ceptoribus te proferres in lucem & conspectum homi-  
num, atq; extolleret in sublime? An hoc est consulere  
quietis, rectè constitutis & pia ac salutari doctrina in-  
structis Ecclesijs, quales ante sediciosas tuas uociferatio-  
nes & tumultuationes fuerunt omnes hæ Ecclesiæ, ea,  
quæ fuere tunc ab alijs tantum in deliberationem pro-  
posita de ritibus externis, quæ non accepta à quoquam  
fuisse scis, multo minus genita aut scripta ab ijs, quorum  
debuere censuram experiri, illa (inquam) imputata  
Præceptoribus tanquam ab ipsis profecta, & à reliquis  
omnibus sine aliqua deliberatione accepta, approbata  
& conclusa, tam scelerate et calumniosè exagitare, omis-  
sis quæ de singulis, re deliberata ac pensitata accurate,  
responsa fuere? Hæc si addidisses, iudicasset Ecclesia, que  
de singulis Præceptores & consulissent & pronuncia-  
sent, tuq; facilius hypocrisin tuam imperitis probasses, &  
in tot tantorumq; scelerum, mendaciorum, calumnias

E iij rum,

rum, blasphemiae culpam non incurrisses. Sed quia arrepta una parte, quae ad Praeceptores non pertinet, ommissa altera, quae iudicij, censurae, suffragationis ac comprobationis ipsorum testimonia habet, tanta criminationum atrocitate inuectus es & inualisti in Praeceptores, quis quaesumus non intelligit, aliud nihil te quaesivisse, nisi ut immaniter laceratis ac falso deformatis harum regionum Ecclesijs, & discerptis atrociter Praeceptoribus, tu ipsorum loco collocatus, excuderes decreta de dogmatibus, quorum specimen blasphemiae tuae de filio Dei exhibent? Non quod propositum ad deliberandum, sed quod responsum & decretum fuerit, doceri oportet ab ijs, qui sententias aliquorum reprehendunt. Si eos tolli uis, qui in talibus rebus consilia expetuerunt eorum, a quibus debuerunt, uide ne excludere cogaris eos, qui te non exterminant. Meminerunt Illustrissimorum principum Saxoniae Consiliarij duo praecipui, quae Praeceptor interrogatus ab ipsis per literas de chartis, quas sparsistis inter initia tanquam comprobatas a Theologis, responderit: Nimirum minime se agnoscere, & multipliciter deprauatas, & nulla suffragatione comprobatas. Cernent autem omnes etiam imperiti, quibus artibus, praetextibus, imposturis & calumnijs Ecclesias turbaris, & insectatus sis Praeceptores, ubi prodierint integra responsa & sententiae integrae Praeceptorum de mutationibus, quas tu maliciose impugnasti, ex autographis depromptae. O te sceleratum hypocritam *εἰς λόγους ἰσχυροῦντα ἐφ' ἑμαυτοὺς κενδύοντα*, O te fustibus & fune dignum sycophantam. O miseros Ecclesiarum nostrarum & communis patriae ciues. Quo amentiae redacti sunt? Quid cogitant? Cur barbari & impudentis ac fugitiui  
& blas



& blasphemii sycophantæ calumnias manifestè falsas sequuntur potius, quam doctorum uera explicataque testimonia, à quibus restitutam Ecclesiæ doctrinam acciperunt.

Sed hac erimus declaratione contenti, copiosius singulis ubi opus erit singula explanaturi, etsi animaduertimus apud bonos & pios plurimos effectum hoc esse, ut te tuarum consilia & artificia considerare propius & intelligere rectius incipiant. Quibus gratulamur hanc ueram beatitudinem, de qua ea toto pectore gratias agimus Deo æterno patri Domini & saluatoris nostri Iesu Christi, auctori & conseruatori ueræ consensionis atque concordia. Et oramus eum una cum filio Iesu Christo, qui inter ardentissimos gemitus ac suspiria, cum sanguinem sudauit, quem expressit ei cogitatio & conspectus ingentis iræ Dei aduersus peccata generis humani, & miseriarum humanarum, atque illorum ipsorum periculorum, in quæ prospexit deuenturam esse ecclesiam, precatus hoc est præcipue patrem, ut Ecclesiæ membra inter se deuinciat ac copulet coniunctione, ut simus unum in ipso, Eum inquam oramus, ut pluribus alijs, quos adhuc fascinatos mendacijs & calumnijs tuis tenes, patefactos illuminet oculos, quo cernant tandem præstigias tuas, & reddat Ecclesijs quam tu inde exturbasti nefarie & scelerate, tranquillitatem ac concordiam, quantum uis ne fiat concordia alia qua furore planè Diabolico tu impedis et prohibes. Reliquam fecerunt manipularium tuorum, quos audimus esse redactos ad breuem manipulum quinque trilaterorum gregariorum te sexto λοχαγώφ, magno cum cōmodo Ecclesiæ sese paulatim recolligentis ex naufragio quod fecit

fecit collisa procellis mendaciorum & calumniarum  
tuarum, adeo tibi non inuidemus, ut eos hortemur atq;  
obtestemur, ne ab amicitia tua discedant, qui tales sunt,  
ut maxime sit optandum, eos ab Ecclesijs nostris procul  
abesse. Testamur autem ac profiteamur nos in ea doctrina,  
quam in libris Prophetis & Apostolicis traditam,  
& scriptis Præceptorum nostrorum repetitam ex his atq;  
que explicatam Ecclesiæ harum regionum amplectun-  
tur, Deo iuuante permansuros esse. Et tibi Flaci dicimus  
longum uale, teq; tibi & tuis permittimus opinionibus.  
Hoc tamen addimus, tua nos scripta non uitatu-  
ros tantum tanquam pestilentissimorum contagiorum fomi-  
tem, sed execratos à Scholis & Ecclesijs pro uirili sin-  
guli quantum poterimus, & te, quem te probas esse, hos-  
tem Christi filij Dei, Ecclesiæ Christi, totius religionis  
Christianæ, Scholæ & Præceptorum nostrorum, abomi-  
natos esse ac detestatos in æternum. Nec ulla nobis  
commercia tecum intercedent unquam. Nec te nobis  
obijciant aduersarij, quem non ciuem, sed hostem Ec-  
clesiarum nostrarum agnoscimus. Ut autem & ij, quos  
fascino tuo ac præstigijs hucusq; irretitos tenuisti, te  
agnoscant & cognitum abominentur ac fugiant, adij-  
ciemus conclusionis causa Pauli uaticinium, quo ad Ti-  
motheum pingit te & tui similes, cum inquit: Hoc scito,  
quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculo-  
sa, erunt homines qui semetipsos magnifacient & admira-  
buntur, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus  
inobedientes, ingrati, scelesti, sine communibus affecti-  
bus, turbulenti, criminatores, proditores, proterui, timi-  
di, habentes speciem quidem pietatis, ueritatem autem  
eius abnegantes, & reliqua. Hos deuita. Quæsumus ex-  
cute

cute te Flaci, & ad hanc te compara atq; examina idæ  
am, docebit te conscientia tua, quàm prope ad perfe  
ctionem huius idæ accedas. Amnistiam fieri nullam  
uis. Et ut fiat, metuis frustra. Etsi enim non dubitamus  
redituram in Ecclesiam quam inde exturbasti concor  
diam: Redituram & Præceptoribus suam autoritatem  
uel iudicio gratæ posteritatis, qua eos exuisti, quantum  
uis tu doleas: non tamen delebitur memoria blasphemiarum,  
perfidia, calumniarum, mendaciorum, & scelerati nominis tui,  
uel ex animis hominum, uel ex monumentis, quibus temetipsum  
tu celebrasti, & celebraberis ab alijs prolixius, donec reliqui  
erunt aliqui de genere humano in hoc mundo, & ne id fiat,  
præstabitur a nobis sedulo. Nec uel scelera eluet tua, uel ab  
interitu uindictabit memoriam illorum ex multo auro Aureum  
opus historiae quod instituis. Pios autem omnes in Ecclesia  
ad quos præcipue scriptum nostrum dirigitur, & hortamur  
& obtestamur propter gloriam Dei, ut à ueritatis explicata  
norma, & scriptis Præceptorum, quibus hæc explicata est,  
abduci se calumnijs & præstigijs tuis non patiantur. Utinam  
exuscitet sese Germania, & oculis tandem apertis, intelligat  
crocodilinas lacrymas tuas & naturam crocodilinam. Dum  
singis te affici grauiter calamitatibus Ecclesie & Iudaico zelo  
deploras eas, ac simulas *ἐκσάραις* mirabiles, interea machinationibus  
occultis & mendacijs ac calumnijs manifestis discerpis ac  
dissipas Ecclesie corpus horrendum in modum, & rapinis atq;  
exactionibus immanibus expilas & deglubis membra Ecclesie  
prætextu astuto, qui uel solus, si aliquid reliquum esset in  
nobis ueteris grauitatis, de tuis artibus edocere nos aut  
commonefacere debebat: Fugis

F

gis

gis turpiter & maliciose te insequentes: Silentio dissimulantes criminationes & iniurias tuas propter Ecclesiam, mordicus persequeris. Quod si hoc beneficium contigerit Germaniæ Dei beneficio, ut te cognoscat tandem, non dubitamus futurum Deo iuuante, quin puritas doctrinæ conseruetur. Oramus etiam Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi propter æternum filium Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut in Ecclesia, quam sanguine filij sui redemptam de potestate Diaboli, mortis & inferni, recepit in gratiam uictus intercessione ac deprecatione filij, conseruet lucem doctrinæ suæ, conseruet etiam ac tueatur pios doctores & Præceptores nostros, & te tuosque & tui similibus conatus compescat, ne maiorem in Ecclesia uastationem efficiant.

Quod si quibus uidebimur usi uehementia maiore, eos rogamus, ut ignoscant grauissimo dolori & iustissimæ indignationi nostræ, quibus impellimur ad suscipiendum conatum defensionis Ecclesiæ, Scholæ, & Præceptorum nostrorum contra tot totiesque repetitas & crudelius subinde atque immanius exasperatas atque exaggeratas nouis mendacijs calumnias. Etsi enim prorsus non dubitamus tueri & excusare Præceptores nostros apud bonos omnes etiam silentes, integritatem, fidem, sanctitatem & innocentiam ipsorum, neque esse aut fore eis unquam opus patrocinio nostro, tamen nostra à nobis fides exigit, ut quam scimus esse ueritatem, eam contra Flacium proferamus & defendamus, quod quidem erit argumentum ijs, qui causam tantam à nobis agi aut hoc modo agi minus probauerint. Quos quidem oramus, ut cogitent, quanta patientiâ tot annis deuor

deuorari & tulerit Ecclesie causa iniustissimas crimina-  
tiones sui uir innocentissimus Præceptor noster, quem  
à te profugo laceratum esse tam crudeliter & immeris-  
to, tacentibus aliquibus, cæteris aut conniuentibus, aut  
iuuantibus, turpissimum nobis erit apud uniuersam po-  
steritatem. Cogitent & quam diu siluerimus nos omnes  
mansuetudinem imitati Præceptoris, non tamen sine  
probrio nostro, & quam indefesso studio hoc egerit Fla-  
cius, ne, quas euomuit, criminationes sopirentur un-  
quam, neue uulnera Ecclesie coalescerent. Siquidem  
omnino prouocatis toties fuit semel dicenda ueritas,  
diximus ut res se habet, idq; & demonstrant & demon-  
strabunt in æternū publica & priuata Præceptoris scripta,  
queq; sequetur ex deliberationum historia cõtexta nar-  
ratio. Tu uero Flaci quo scelere quaq; perfidia desertis  
zuis profugisti in Germaniam, eadem prodita & inter se  
collisa Germania, cum inter excitata abs te incendia  
nullus fuerit tibi locus reliquus, reuertes unde ad-  
uenisti. Quod utinam fieret, antequam  
erumpant incendia, quibus &  
faces admoues & ad-  
flas halitus;

F ij Episto

EPISTOLA QUARTA SCHOLASTICORVM VVITE

BERGENSIVM.

Si ij, quos Ecclesie gemitus & Reuerendi nostri Præceptoris Philippi Melanthonis uirtus & beneficia ad id obligabant, Illyrici audacia se initio opposuissent: nequaquam ad eam potentiam peruenisset, quæ iam ferox & insolescens omnibus bonis superbissime insultat, & nobis Scholasticis aduersus eum decertantibus omnia multo faciliora & expeditiora essent. Sed cum præstigiatoris fascino dementati sint, ac prauis opinionibus occupati uulgi animi, factum est, quod dici solet, ut cum mala per longas inualuere moras, difficilior sit medicatio. Quod si in hac ætate de tantis rebus nobis iudicium sumere auderemus, diceremus certè isto tam diuturno silentio ac nimia lenitate illud ulcus adeo computruisse, & ad tam multas antea integras partes serpsisse, ut penè sit desperata eius curatio.

Quid enim iam non arrogat sibi Illyricus, stipatus eorum factionibus quos uel malis artibus in sua castra pertraxit, uel qui peruersitate nature ac mala cupiditate quoquo modo emergendi, eò sua sponte concesserunt? Per assentatores insinuauit se in aulas multorum Principum, quorum iam nomine & autoritate abutitur ad terrendos eos, qui se eius Tyrannidi audent opponere. De ijs autem Principibus qui eius scelera non probant, contumeliosè scribit, & eò impudentiæ progressus est, ut iam ipsis Synodis uelit præscribere, & earum quodammodo censor haberi, nec dubitamus breui sectatores

res

res eius disputaturos, an Illyricus sit supra Synodum.

Cum initio disputaret, nostris Præceptoribus ingenium & eruditionem, sibi autem Zelum & constantiam in asserenda ueritate tribuebat. Iam uerò suorum coniuratorum assentationibus eò arrogantia uel potius stultitia peruenit, ut omnes præ se nihil mentis & eruditionis habere iudicet, nec uereatur impudens sycophanta conferre cum Vocabulario Ex quo illud Sacrum opus Locorum communium nostri Præceptoris, quo (uel ipsius Lutheri iudicio) nihil utilius à temporibus Apostolorum in Ecclesia est editum. Vnde illi noui enthufiasmi Illyrice: quonam caballino uel potius asinino fonte cerebrum proluisti, ut sic repente sapientia & eruditione omnes superes? oportet enim istam sapientiam ualde recentem esse, aut tale genus quod antea in his regionibus prorsus ignotum fuerit. Nam nihil adhuc tale in tuis scriptis comperimus.

Sed fortè illa est peculiaris tuæ patriæ, quam nostrorum ingeniorum simplicitas non assequitur. Vt nam Illyrice mansisses in illis locis, ubi floret ea sapientia, quam nostris hominibus ita instillasti, ut ualde metuamus ne non facile eam postea dediscant. Infoelix Germania quæ te frigidum anguem in sinu fouit, ut reciperes uires ad spargendum uirus, quo maximam eius partem infecisti: uel potius quæ supposititium κόκκυρος ouum exclusit, ut ipsam quæ tibi loco parentis esse debuerat, postea deglutires.

Nemo qui non prorsus caret mente dubitat, quin Ecclesia tanto successu per reuerendum Patrem Lutherum & alios præstantes uiros repurgata ac constituta, ab illo fatali & funesto Germaniæ bello mirum in mo-

dum quassata sit, non quod in plurimis Scholis & præcipue in hac nostra ueritas doctrinæ coelestis non sit diligentissime explicata, cum apud alios alia essent mota ab inquietis hominibus, sed quod fatali quadam peruersitate recte monentes & docentes nemo audire uoluit. Nam & tunc præualuerunt & nunc longè præualent istorum qui in patriæ perniciem conspirarunt consilia. Siquidem magna mole calumniarum & atrocium criminationum, recte docentium autoritas adeo labefactata est, ut quiuis ardelio eorum dicta aut facta impudenter calumnians à populo nouarum & absurdarum opinionum amante maximo applausu excipiatur, & si iam de aliqua re incidat quæstio, illi tantum audiuntur, quibus moris est aduersantes sibi multis conuicijs scurriliter proscindere. Ista sunt trophæa uictoriarum Illyrici, nec in Germania cessabit talia erigere, donec ipsa funditus intereat, nisi Deus nostri misertus illud flagellum quo nos tam diu iuste afflixit, tandem in ignem conijciat.

Sed finem faciamus istarum insuauium querelarum, in quas nos iustissimus dolor abripuit, & narremus quid fuerit in causa, ut certamina (quæ quodammodo interquieuisse uidebantur) recens recruduerint. Superiora hic non attingemus, quod breui proditurum Scriptum speremus, in quo ex serie actionum ostendetur quam iniuste Flacciana colluies Venerandum nostrum senem adeo robiosè insectata sit, nec uolumus nisi ea quæ nobis sunt probe nota scribere.

Iam est fere biennium cum quidam homines (quorum non est leuis autoritas in his regionibus) existimauerunt Illyricum non adeo exuisse omnem humanitatem, quin illa moderatione & longanimitate nostri Præceptoris



ptoris aliquantum moueretur, & propterea sperarunt  
posse ab eo impetrari (si aliqua concordiae ratio iniretur)  
ne eam interturbaret, aut saltē ut maledicendi & obtres  
candi finem faceret. Cumq; de ea re cum ipso egissent,  
prolixē & liberaliter de sua uoluntate est illis pollicitus,  
& simulauit se nihil magis appetere quam concordiam,  
cum presertim prae manibus haberet illud aureum opus  
Ecclesiasticę historię, quod totum hominem requireret.

Illi itaq; existimantes hæc ingenue & non simulate  
ab eo dici, magnā spem conceperunt, & decreuerunt huic  
actioni insistere, sperantes se eam ad optatum finem  
perducturos, & consequutores ut uarijs modis turbatis  
& dilaceratis Ecclesijs sua pax & tranquillitas tandem  
restitueretur. Quare egerunt cum Illyrico ut uel placis  
de ad nostrum Præceptorem scriberet, quid haberet ani  
mi, uel saltem condiciones proponeret, quibus concordi  
am commode iniri posse iudicaret.

Verum cum Illyricus uideret se creuisse contenti  
onibus & obtreccionibus, & in pace nihil futurum,  
cumq; tota sua factione in fumos abitururum, longe alia  
consilia animo uolutabat. Cœpit itaq; recurrere ad illas  
sibi familiares artes, quibus tamdiu miseræ Germaniæ  
imposuit, & scripsit articulos quorum summa erat ut om  
nes eius actiones, hoc est calumniæ & mendacia, quibus  
scripta eius undiq; scatent, comprobarentur. Misit aut  
articulos Magdeburga ad Dominum Eberum, ut eos  
nostro Præceptori proponeret, & in speciem petijt ut si  
quid in ijs mutandum iudicaret, ipsum de ea re certiorē  
faceret. Sed cum Dominus Eberus in ijs nihil prorsus  
probaret, Illyrico nihil respondit, & articulos apud se re  
tinuit. Fuerunt aut condiciones & fundamenta concilia  
tionis

tionis quæsite, ut Præceptor agnoscens & in sese recipiens criminationes ab Illyrico impudenter effusas & crudeliter in harum regionum Ecclesias, in ipsum Præceptorem in alios plurimos sanctos uiros, seq; & cunctos illos condemnans & abiectus ad pedes turpissimi hominis, culpam deprecetur, quam in eum horribili immanitate & audacia contra toties declaratam innocentiam, contra tot publica scripta, contulisset, & mendaciter finxisset.

Cum uero illi, de quibus supra dictum est, non desisterent apud Illyricum urgere istud negotium pacificationis, forte fortuna uenit Magdeburgum Hubertus Languetus, qui eò quòd uiueret apud nostrum Præceptorem, uisus est idoneus ad eam fabulam peragendam. Fabulam dicimus, quia nihil serio ab Illyrico agebatur, ut liber von der Einigkeit plenus atrocissimarum criminationum iam tum impressus, postea ostendit. Actum est igitur de ea re cum Huberto ab Illyrico, Vuigando, & Abdia Prætorio, & ei propositi sunt iisdem articuli quos ad Dominum Eberum missos diximus, petitumq; ab eo est, ut libere diceret quid de toto illo negotio sperandum iudicaret, uiamq; commonstraret, quam ad ineundam concordiam aptissimam putaret. Respondit Hubertus, cum satis longo silentio uiderentur quodammodo sopitæ istæ uociferationes, consultissimum se existimare, ut nulli proponerentur articuli, nec ulla præteritorum mentio fieret, sed uelut quadam obliuione & abolitione offensarum omnia sopirentur. Tunc subiecit Illyricus, nullo modo tolerandam esse *ἀνομιαν* in Ecclesia, oportereq; ad posteritatem extare iudicium & sententiam Ecclesiæ de omnibus controversijs

uersijs motis. Ad quæ Hubertus, si necesse est ad posteritatem extare iudicium Ecclesiæ de istis rebus, satius est de his in Synodo disceptari. Verisimile est ibi futuros, qui poterint rectius & sine affectibus iudicare, ubi occasionem certaminum intellexerint, & quid ab ijs factum sit, qui accusantur, quibus argumentis & qua specie sint reprehensi à uobis, auditis utrisq; considerarint, & plus ponderis ad posteritatem habebit huiusmodi sententia, quam si quid priuata transactione constitua- tur. Suspiciosas posse uideri Ecclesiæ clandestinas & oc- cultas compositiones. Sic autem respondit, quia tunc quidam Principes dicebantur hoc agere, ut Synodus ex nostris Ecclesijs conuocaretur. Sed Illyricus nihil mi- nus cupiebat, quam eò deuenire ubi suis artibus non es- set futurus locus. Tandem suadente & urgente Abdia Prætorio, qui uere concordiam expetebat, & omnia candidè & sine fuco agebat, ut postea ostendit, nec tunc planè Illyricum nouerat, nec eius occultorum consilio- rum erat particeps, eò deuentum est, ut Hubertus pol- liceretur se per occasionem de istis cum nostro Præcep- tore acturum, ac uoluntatem eius exploraturū, eamq; ipsis significaturum.

Sed uiperinus foetus (nimirum liber von der Einig- keit) auidus spargendi sui ueneni, ita parentis latera ro- debat, ut coegerit Illyricum deposita tandem larua, in- star Aegyptiarum Simiarum ad nuces accurrere, hoc est, ad ingenium redire, & aliquandiu male pressam lin- guæ intemperantiam ac uirulentiam resumere. Metu- ens enim ne noster Præceptor commodam aliquam uia- am ad concordiam monstraret, uix digressio Maga- deburga Huberto tabellarium misit, qui eum subsequen-  
G retur,

retur, cum literis, quibus petebat sibi significari, quid in  
ea causa actum esset. Cum Hubertus ignoraret quo  
consilio hæc fierent, miratus istam festinationem petijt à  
Tabellario, ut saltem ad unum aut alterum diem hic ex-  
pectaret, ut posset captari occasio agendi cum nostro  
Præceptore, quem tantum ex itinere salutarat. Verum  
cum Tabellarius sub noctem redderet Illyrici literas, dis-  
xit sibi esse mandatum, ut postridie sub auroram disce-  
deret, flagitabatq; literas ab Huberto, qui inops consilij  
ad nostrum Præceptorem accessit, eiq; totum negotium  
indicavit.

Sed iam literis amicorum certior factus erat nos-  
ter Præceptor de libro qui impressus ab Illyrico asser-  
uabatur. Quare miratus eius impudentiam, & grauer  
ferens se eiusmodi artibus peti, Epistolam ad Hubertum  
scripsit, quæ postea sparsa est, ut ipsis quidem uidetur ue-  
hementiorem, sed tamen in qua omnes rectè sentientes  
dicunt, eum magis pepercisse Illyrico quam debuerit.  
Vbi rescivit de Epistola Illyricus, ita ei odium & impe-  
tus naturæ ruentis in scelus omnem mentem ademe-  
runt, ut mox librum emitteret, non cogitans fore omnia  
bus notum ipsum nihil sincere, sed omnia simulate egisse  
se, cum inter agendum de concordia talia scriberet, &  
quasi inducias uiolaret contra ius gentium, quas se magis  
gnopere cupere præ se ferebat.

Ex his putamus satis liquere, non epistolam nostri  
Præceptoris ad Hubertum (ut dicunt Flacciani) præbus-  
isse causam certaminibus quæ à biennio recruduerunt,  
sed ipsum Illyricum simulatis & insidiosis actionibus de  
pace

pace, quibus eas flammæ excitauit, quibus conflagrat  
Germania. Sed iam reliqua persequamur. Illyricus sanè  
illo suo scripto apud multos nō eam inijt gratiam quam  
ipse sibi somniauerat. Siquidem ab ijs solis ex eius lecta-  
toribus est comprobatus, qui putant nihil sua interes-  
se, si omnia euertantur, dummodo opprimātur illi, quo-  
rum uirtutem suis cupiditatibus obstare existimant. Sed  
præ reliquis male habuit eos, qui actionem istam de pas-  
cificatione urgebant, & quibus pollicitus erat Illyricus  
se nihil non tentaturum, ut aliqua concordia ratio iniri  
posset. Cum itaque cum eo exostularent, nec haberet  
quod eis responderet, cum ex editione libri conuince-  
retur rem mala fide egisse, cogitauit sibi esse persisten-  
dum in illa simulatione studiij pacis, ne plures ab eo abas-  
lienarentur, sed rem longe alia uia aggrediendam esse.

Considerans igitur quanta sit lenitas & mansue-  
tudo animi in nostro Præceptore, & quam natura ab-  
horreat ab omnibus contentionibus, quæ tranquillitas  
tem Ecclesiarum turbare possunt, & præsertim in hac se-  
necta, in qua uirium imbecillitas & ualetudo annis &  
ingentibus laboribus fracta, eum magis amantem quies-  
tis reddunt, iudicauit crudelis homo sibi ad crudelitas  
tem abutendum esse his rebus, quæ (si non omnem hu-  
manitatem exuisset) ipsum ad misericordiam maxime  
flectere debuerunt. Scripta ad Præceptorem Epistola  
minatur se Epistolam ad Teupolum Venetum scrip-  
tam editurum, & uult pro summo beneficio haberi  
quod eam prius non ediderit. Talia sunt latronum iudi-  
cia, qui putant se maximum beneficium præstitisse uias-  
tori, quem in sylua non iugularunt, & iudicat Illyricus

G ij sibi

sibi deberi magnam gratiam, si aliquod genus sceleris quod exercere posset prætermittat. Quamuis existimus in ipso tantum esse crudelitatis, quæ nequaquam nostro Præceptori pepercisset, si putasset se ei illius Epistolæ editione aliquid infamiae inurere posse. Sed quia scit illam confictam, non audet tentare iudicium vulgi, & præterea uult habere quod domi suis gnatonibus ostendet, ne eum prorsus exarmatum existiment.

Is Teupolus ad quem dicit scriptam Epistolam, fuit orator Venetus in conuentu Augustano anno 1530, qui cum discessurus Augusta Illustrissimo Principi Iohanni Saxoniae Duci Electori suæ Reipub. officia (ut est moris) detulisset, iussus est & noster Præceptor Principis nomine gratias agere, & ipsius officia Reipub. Venetæ uicissim deferre. Nihil quicquam præterea consuetudinis aut commercij cum Teupolo ei intercessit unquam. Inde nebulo quispiam, seu Illyricus seu quiuis alius, occasionem confingendæ epistolæ sumpsit.

Nec hoc miretur aliquis. Nam apud illam factionem inualuit consuetudo intercipiendi & resignandi alienas epistolas. Imo quod est deterius, alienis ministris pecunia uel alijs artibus persuadent, ut furentur aut describant epistolas ad suos Dominos missas, ut inde eorum consilia resciscere possint, & si ne hoc quidem pacto consequuntur quod cupiunt, confictas spargunt, inscripto illius nomine, quem euersum cupiunt, ita ut usitatissimum sit hoc tempore in contentionibus dicere, Scio quid ad hunc, & ad illum scripserit. Si hoc non est scelus, scelus est inane nomen. Turpissimum semper fuit apud honestos homines epistolas uel

ab

ab ipsis inimicis scriptas publicare. An non est crimen falsi alienas resignare? Furtum intercipere? aliquid deterius plagio alienum ministerium non ad furtum, sed potius ad sacrilegium instituere? Quid enim potest homo atrocius committere quam eius a quo domi alitur uitæ ac famæ insidiari? & surrepta ei arma hostibus tradere, quibus postea eum iugulent? Sed nos Germani contagio exterarum gentium paruo tempore tantum profecimus, ut hæc leuia & nullo supplicio digna iudicemus. Qua igitur fronte Illyrice tu & tui audetis aut interceptas aut commentitias epistolas cuiquam obijcere?

Ad epistolam Illyrici respondit noster Præceptor, & ostendit qua occasione conficta sit epistola ad Teupolum. Præterea quædam breuiter inseruit de causis & iniurijs istorum certaminum, ex qua narratione Flacciani colligunt aut saltem in uulgus spargunt, eum culpam suam agnoscere, & fateri iustam esse causam quam ipsi defendunt. Ac ut omnes uideant, quo ore ista committantur, illam nostri Præceptoris responsionem nunc edimus. Sed ut diximus Deo dante breui prodibit Scriptum, in quo ex authenticis instrumentis diserte narrabuntur initia & progressus omnium actionum quas prætexit suæ maledicentiæ Illyricus, & ostendetur quanta audacia & impudentia ipse cum suis affectis multa confinxerit, ac manifeste cõuincetur falsi.

Quod dicunt nostrum Præceptorem in ea epistola culpam suam agnoscere, hoc quale sit non uidemus, cum diserte & explicate dicat, Nec requisitam esse ab Illustrissimo Principe Mauricio Electore Saxonie muta-

G iij tionem

tionem ullam in ulla parte doctrinae aut ulla re necessaria, nec tentatam aut concessam à quoquam, sed deliberationes fuisse habitas de solis ritibus externis suo genere non impijs, quas Flacciani improbe & scelerate non cognitis sententijs Præceptorum, suspicionibus crudelissimis & iniustissimis exagitarunt. Sed obijciunt Flacciani, eum fateri, se peccasse, quod non fugerit insidiosas deliberationes. Insidiosas quidem nullorum magis quam tua & complicum tuorum culpa, à quibus insidiae & tendiculae struerentur bonis omnibus. Sed quomodo abesse ab ijs potuit, ad quæ legitime fuit accersitus, nisi tuo exemplo prodere officium, has Ecclesias & Academias uoluisset, & stationem suam turpiter deserere. Itaque quid eius praesentia in ijs actionibus praestiterit, scriptum de his, ubi editum fuerit docebit, ex quo & cuiusmodi illæ deliberationes fuerint apparebit, & tum statui poterit uestra ne an aliorum culpa tales ei uoces extorserit, cum de ijs omnibus quæ in illis deliberationibus scripsit & dixit, planum fiat, optima eum conscientia in tota re uersatum, neque nunc quidem aliter uel ipse Præceptor uel pius & intelligens ullus facere aut sentire possit. Glorietur amplius Flacius, sua & suorum opera & uirtute perfectum, ut Magdeburga bellum susciperet & perferret. Cui urbi quam operam Flacius & Flacciani nauarint, *ἁλώσομεν ἢ σωτήριον* fuerint, ipsa nimirum Ciuitas pronunciet. Nos facere id non decet. Hoc quidem apparet & ante oculos est, reliquas Saxoniae ciuitates conseruasse eandem religionem, quam illa ipsa, quæ tua & horum Flaci, de qua gloriaris, fortitudinis rã opere afflictã est. Etsi minus est operosa fortitudo, ubi de capite & fortunis alienis agitur. Quod si patria  
tibi



tibi fuisset, aut eas opes tunc habuisses, quas postea cor-  
ralisti de compilationibus Germaniæ, miserabilem in  
modum & crudelius aliquanto deceptæ ac direptæ,  
quam ante Lutherum à Pontificibus & Monachis,  
qui uenalibus indulgentiis nimis credulum genus nos-  
trum exhauserunt, decepta fuit, longe aliter absq; dus-  
bio sensisses. Sed quid tibi tunc poterant uictores eris-  
pere nisi miseras?

Vtinam Illyrice non essent in Germania tam cre-  
bra exempla eorum qui te suum Ducem imitantes sedis-  
ciosis clamoribus ad populum efficiunt, ne Magistratus  
possit ea quæ recta esse uidet decernere. Multi præstan-  
tes uiri huic rei quærunt remedium, sed frustra crescente  
indies uestra rabie.

Gallus etiam circa illud tempus ut aliquid operæ  
ad nostri Præceptoris oppressionem conferre uideretur,  
nescio quid grande & horridum de fato Stoico ex suo  
sterquilinio minitatus est. Sed quamuis sit ille Marcius  
ales unguibus & rostro atque alis armatus in hostem,  
hactenus tamē tantum parturierunt montes. Agnosci-  
mus sane in eo aliquid Germanicæ ingenuitatis, nam  
admonet aduersarium, ut sibi caueat, antequam feriat.  
At collega eius Flacius ubi incautis uenenata spicula in-  
fixit, simulat se uulneri mederi uelle, ut illud postea acris-  
ori ueneno illinat.

Sequuta est postea Vuernerii Barbiensis Epistola  
πρὸς λόγῳ, quæ quia iam est edita cum præfatione, ad  
quam suo more respondet Illyricus, alio loco de ea fusi-  
us dicitur. Quamuis Vuernerum, ut ipsi gratificetur, scri-  
bit Illyricus fateri à se scriptam, tamen omnib. quibus est  
notus,

notus, constat ingenium eius non adeo tenuibus fibris contextum esse, ut hæc ei in mentem ueniant.

Ex his uides lector quibus artibus nostro Præceptoris insidiatus sit Illyricus, & quomodo se in omnes formas uerterit, ut eum opprimeret. Sed tamen cum non uideret eum successum quem initio imaginatus sibi fuerat, putauit alicuius splendidae pompæ fulgore persstringendos esse simpliciorum animos, ac ostentatione suarum amiciciarum & autoritatis apud Principes & potentes urbes, retinendos in officio illos, qui sycophantijs eius iam incipiebant auersari.

Primum igitur ut sibi præpararet eorum animos quorum opera ad hanc rem uti uolebat, sparsit per Saxoniam scriptum, in quod tanquam in foedissimam cloacam tantum congeffit spurcarum calumniarum & criminationum, non solum aduersus nostrum Præceptorem, sed etiam aduersus innumeros præstantes uiros, ut honesti homines illud legentes cohorrescerent, non esse humanæ prauitatis sed plane Diabolicas διαβολαε, & mirarentur posse hominem ita deprauari, ut talia ei in mentem ueniant. Illud scriptum aut saltem eius capita multi nostrum legerunt, nam exemplum fuit huc missum Hamburgo.

Vbi iudicauit Illyricus omnia opportune instructa ad actionem quam instituebat, uocauit ad se Lubecensem, Hamburgensem, Luneburgensem, Brunsvicensem superattendentes, & curauit ut singuli sibi collegam unum adiungerent, ut ipsi rei plus inesset maiestatis. Nam existimauit decere suam amplitudinem, & sibi ualde honorificum fore, si imperitum uulgus rescisceret, cuiusmodi uirorum opera ipsi abuti liceat, quandocun-  
que

que libet, Per hos de suis criminationibus cum solo Præceptore agi uoluit, exclusis illis, ad quos & conscios deliberationum illarum, quæ præcipue accusantur ab ipso falsoq; in suspicionem adducuntur, et particeps cōsiliorum, tota res magis pertinebat quam ad Præceptorem. Scilicet, quod se sciebat impudenti & importuna flagitatione Præceptorī, cuius ei facilitas in cedendo, & in ferendis ac deuorādis iniurijs publicæ tranquillitatis causa patientia perspecta est, quæ uellet extorquere posse. Huic uero si quid expressisset, eo se confestim usurum ad iugulandos reliquos, quos contemnit. Vt autem noster Præceptor inopinato legatorum aduentu percelleretur & consternaretur, totum negocium tanta arte cælatum ac dissimulatum est, ut prius eos uenisse quam esse in itinere hic sciuerimus. Quod quale sit, & ipsum aliorum iudicijs permittimus. Nos quidem ita existimamus, eos qui se arbitros profiterentur, & ut præ se ferebant, ab honestissimis Rebuspub. missos, cum utraque potius parte amanter conferre decuisse, præsertim cum sese offerret Præceptor noster ad declarationem suę sententię de toto corpore doctrinæ, & familiarē cum ipsis collationē, quæ de re se mandata à suo Magistratu nō habere illi ostendebant. Qualia habuerunt igitur? An ut in gratiā Flaciū persuadere Præceptorī conarentur, de iniustissimis & crudelissimis criminationibus Flacio ut gratias ageret? quod non existimamus. Sed ut nostrum iudicium non interponamus, hoc est factum, ut repentino aduentu legatorum noster & ipsorum Præceptor incautus obrueretur, & condemnationes aliquæ iniustissimæ & subitæ responsiones poscerentur. Sed uenia danda est ijs, qui à tali ac tanto præstigiatore decepti fuere, & culpam celes

H riter

riter agnouere, deq; uoluntate & iudicio suo paulo post non obscure fuere testati. Illyricus autem suae dignitatis esse iudicauit consistere Cosuici, & inde huc decreta mittere, sicut ante aliquot annos fertur Romanus Pontifex Roma misisse Tridentum, cum ibi celebraretur Concilium.

Cum egens & nudus in has regiones uenisti Illyrice, male tecum fuisset actum si Cosuici restitisses, sed ad eum uenisti cuius iam sanguinem crudelis tuus animus sitit, qui te omni genere calamitatum oppressum ut benignus parens excepit, tuas sordes absterlit, te fouit, euexit, ornauit, & si quid armorum praeter naturae peruersitatem habes, ijs te instruxit, quibus omnis humanitatis immemor iam eum crudeliter oppugnas, ac insigne & in perpetuum memorabile ingratitudinis exemplum statuis.

Tuos igitur legatos Cosuico dimittens sic instruxisti, ut de omnibus rebus ad te referrerent, nec quidquam in eorum actionibus ratum esset, nisi quod tu summus Pontifex approbares. Pulchre certe fuerunt tuorum mandatorum memores, nam omnia ex tuo praescripto egerunt, de omnibus suis consilijs ad te absentem nihil ad nostrum Praeceptorem praesentem retulerunt, sed eas tantum condemnationes ei proposuerunt, quas iam uideramus in eo tuo scripto, quod diximus huc Hamburgo ad nos missum. Haec ita geri cum cognosceretur, commouit iustissimam indignationem bonis uniuersis rei indignitas, tam callide & insidiosae a te peti communem Praeceptorem & Parentem nostrum, quam si qui dissimulare aut reprimere non potuere, eorum etati atq; dolori ignosci posse existimamus, cum quidem omnes cogitans

gitantiores hoc agerent, ne impatientia sua molestiam  
cuiquam afferentes, Præceptorem communem ullo mo  
do offenderent. Sed quam humanitatem & lenitatem  
tum Præceptor noster à se præstiterit, res docet. Et ta  
men Flacius & Fex Flaciana accusare impudentissime  
dicitur, edito libro quodam, Philippi Melanthonis in il  
lis actionibus erga legatos Saxonicos inhumanitatem  
uel feritatem potius, à moribus & ingenio ipsius alienis  
simam. Sed hæc Epistolæ, quæ infra subiiciuntur & con  
cessionibus de suo iure docere legentes poterunt.

Fuerunt qui lenitudinem tum in ipso reprehens  
derent. Vos duriciem accusatis. Itaque argumentum hoc  
etiam esse potest, moderationem ab eo usurpatam. Sed  
hæc ut diximus Epistolæ & acta doceant. Etsi quam dur  
us aut iniquus uobis ad præclara postulata uestra fuerit,  
ex hoc etiam iudicent omnes, qui hæc nostra legunt.  
Constat C. L. Virum Paulum Eberum, & Ecclesiæ &  
Academiæ huius nomine & uerbis ipso Philippo astan  
te & audiente protestatum apud legatos tuos, neque Ec  
clesiam neque Academiam Vuitebergensem recipere  
in sese omnia aut admittere, neque probare, quæ nimia  
lenitate Præceptor & odio contentionum egisset atque con  
cessisset, ab ipso extorta. Hæc nisi fallimur, refutant accus  
ationes uestras. Quare à Legatis tuis, & docebunt te rem  
ita se habere.

Fortasse tibi hoc durum uideatur responsum Flaci, quod  
dedit legatis abs te conductis Præceptor noster de in  
nocentia sua contra criminationes tuas, se, si in carcere  
sibi difficilimo concluso, audienda esset sententia de  
capite suo, & rogus ad eundem iam iam, malle mori quam

H ij crimis

criminationes tuas agnoscere aut à sese non depellere.  
Aut uera esse dicere & in se recipere ea, quæ nunquam  
ne cogitasset quidem, necdum fecisset. Aut dura uide-  
tur tibi uox Reuerendi senis ac Patris Doctoris Pome-  
rani, Pastoris Ecclesiæ nostræ, piæ & sanctæ memoriæ,  
qui cum salutasset legatos tuos in templo multis nos-  
trum astantibus, addebat: Audio uos à Flacio missos  
ut conciliationes tentetis. Ite, compescite rabiem & pe-  
tulantiã hominis, ut desinat mentiri & calumniari, &  
erit in Ecclesijs nostris Dei beneficio pax & tranquillitas.  
Hæc tibi assueto Gnathonum tuorum obsequijs &  
blandimentis aspera uidentur. Nobis lenia nimis & fa-  
cilia. Acerbiora enim & duriora alia longe merentur &  
exigunt sycophantiæ criminationes tuæ. Si uero legatos  
ipso nil mouerunt hæc responsa, quod innuere tu uide-  
ris in chartis tuis, nobis uero non persuadebis facile, de  
plurimis saltẽ, de quibus diuersum ex ore, sermonibus &  
epistolis ipsorum cognouimus, dolemus ac deploramus  
duriciem in ipsis aut incogitantiam. Clamet autem Illy-  
ricus quantum uolet, ipsos indigne hic esse acceptos, tes-  
tabuntur tamen qui candide agere uolent, nullum nos-  
trum quamdiu hic fuerunt quidquam petulanter aut  
proterue aduersus ipsos fecisse, licet non ignoraremus  
qui aliqui ex ipsis molirentur, quod sanioribus & melio-  
ribus displicebat, qui id & minime tunc dissimulabant,  
& postea ostendebant apertius, pertesi præstigiariũ,  
quibus à Flacio circũducerentur. A nostris autem Præ-  
ceptoribus sciunt sibi publicè & priuatim exhibita esse  
ea officia, quæ hanc Ecclesiam & Scholam decuerunt.

Illyricus se ea legatione effecturum, ut  
noster Præceptor animo fractus ipsi supplex fieret, &  
pro

pro acceptis iniurijs gratias ageret. Quanquam autem exculperat uel inuito plura, quam concedi ipsi par erat, tamen intellexit euentum non respondere spei, quam de tantis conatibus conceperat. Itaque cum uideret nostrum Præceptorem esse eo animo, ut quanquam initio malit aliquid de iure suo concedere, quam cum hominibus contentiosis committi, si tamen nimis inique urgeatur, fiat paulatim animosior, ita ut sæpe aduersarij initio sibi certam de eo uictoriam spondentes, in ipso disputationis progressu euentum suis uotis contrarium consequantur. Videret etiam edoctus experientia non tantam esse suam autoritatem, quantam assentatorum palpis infatuatus prius somniabat, existimauit non iam uociferationibus & terriculamentis sibi decertandum esse, sed præstigijs & obscuris uerborum inuolucris, quibus postea affingeret interpretationes secundum affectum eorum quos mirabilibus artibus sibi deuinctos & irretitos tenet. Quare nactus idoneum artificem ad eiusmodi texendam telam, curauit formulam pacificationis scribi, plenam quidem captionum & insidiarum, quas non facile erat cuiuis deprehendere, sed cum incidisset in hominem talibus artibus sæpe impetitum, & qui pictæ tectoria linguæ dignoscere potest, statim per leonis exuium Asini aures prominuerunt, & responsum tulit Illyricus longe aliud quam sperabat, & credimus quod ipsum cum suo Architecto quanquam astuto pœnituerit talia tentasse.

Curauit autem eam formulam nostro Præceptori proponi per legatos Illustriss. Megaloburgensium Principis Iohannis Alberti, tum ut nomen Principis personam & causam eius ornaret, tum ut palam fieret

H iij mundo,

mundo, non tantum potentes urbes, sed etiam principes pro tuenda & augenda Illyrici dignitate decertare. Scit enim talia in oculos imperitorum hominum incurere, ac uulgus eiusmodi artibus maxime capi, si præsertim emissarii totam Germaniam perreptantes, splendide ista exaggerent, ac apud non intelligentes affirment omnia ad ipsius gloriam, & nostrorum contumeliam cessasse. In qua re quantus sit artifex Illyricus nemo ignorat, & qui eum exactius norunt, hanc esse præcipuam partem eius sapientiæ asseuerant. Eam autem formulam cum cœpisset noster Præceptor legere initio quædam sua manu annotauit, sed cum in ipso progressu artificis dolos deprehendisset, totam (ut est ipsi moris, si quid tale ad eum mittatur) abiecit.

Hæc uoluimus breuiter dicere de causis renouatorum certaminum, quibus turbata est illa qualiscumque tranquillitas qua fruebantur hæ ecclesiæ, cum Illyricus totus occupatus in Ecclesiastica historia, et ad eam magna pecuniæ uis colligenda, aliquid de sua rabie remisisset, & nostris Præceptoribus inducias quodammodo concessisse uideretur.

Ne autem dicat nos aliquid in hac narratione fingere, maluimus scripta quæ de ijs certaminibus nancisci potuimus bona fide edere, & eorum causas & occasiones breuiter explicare, quam integram historiam per texere. Itaque non dubitamus hæc satis fore ijs qui candidè & sine affectu iudicare uolent, eorum uero qui odio & alijs prauis affectibus fascinati omnia sinistre interpretantur iudicia non admodum curamus.

Nec



Nec nobis ulterius progrediendum esse putauimus, cum Reuerendus uir iustus Menius multis & grauius iniurijs adactus, illud silentium quod Flacciani regni basis & fulcrum fuit ruperit, ac Illyrici Mysteria ita omnibus ob oculos posuerit, ut non dubitemus multos iam mirari sibi tantas tenebras offundi potuisse.

Quod si nobis adolescentibus de tantis rebus ita dicere liceret, & fas esset in carissimo nostro Praeceptore & parente aliquid non probare, accusaremus in eo illam nimiam lenitatem & patientiam. Inde enim isti arrepta tumultuandi occasione cum nemo se eis opponeret, tantum petulantia & audacia profecerunt, ut iam sit periculosum eis aduersari, & oppressam ueritatem uindicare, nec est spes eos unquam concordiam expeturos, etiamsi omnia eis concederentur, cum ambitione insaniant, & istis contentionibus homines alios obscuro uersentur in ore uulgi.

Existimarem sane nos in hac parte feruore aetatis aut rerum inscitia labi posse, nisi suffragatores haberemus uiros annis & moribus graues, ac rerum usu & eruditione excellentes, qui non tantum non accusant nostrum institutum, sed etiam hortantur nos ne semel susceptam ueritatis & Praeceptorum de nobis optime meritorum defensionem deseramus.

Quamuis sciamus illum, quem uere parentis loco habemus, hoc nostrum factum non probare, tamen in hac unica re ab eo dissentire uoluimus. Quod si quid a nobis hic peccatur facile ab honestis hominibus nobis ignoscetur, cum uehemens noster erga illum amor  
& stus

& studium ueritatis propugnandæ ad id nos impellat. Itaq; hoc scripto tanquam syngrapha testamur ( si Deus concesserit ut ætate & diligentia aliquid eruditionis & iudicij nobis accedat ) nos omni conatu acturos, ne in Ecclesia stabiliatur illa Tyrannis, quam Illyricus cum suis uult constituere, & licet sciamus eum esse inexhaustæ maledicentiæ, & plenum captionum & fraudis, nullum tamen periculum reformidabimus, dummodo Veritati patrocinemur. Quod si ad pœnam Germaniæ tanquam flagellum diutius superfuerit, non sinemus tamen turpes eius canos cum ea gloria quam de triumphata Germania sibi stulte imaginatur, ad inferos descendere. Hoc certe nostro Præceptori apud omnes qui ualent iudicio maxime est gloriosum, quod tantum oppugnatur ab ijs, cum quibus esset ei ignominiosum amicitiam colere, ne scelera eorum non odisse uideretur. Inter hos longe principes sunt Illyricus & Staphylus. Sed Illyricus tanto Staphylo perniciosior, quanto sedicio et intestinum bellum externo calamitosius est, uel potius quanto sedicio bello est perniciosior. Nam cum Staphylus cum aduersarijs se prodita ueritate manifesto coniunxerit, uel incautis ab eo parum est periculi. Sed alter ita latenter in nostris Ecclesijs grassatur, ut imposturis & præstigijs, ac simulatione pietatis & religionis possit etiam tenebras offundere ijs, qui non prorsus carent ingenio.

**Respon-**

RESPONSA  
DATA LEGATIS SAXONICIS  
ET MEGALOPOLENSIBVS A PHILIPPO  
Melanphone, quibus intexta est Narratio  
copiosior totius rei gestæ,  
& omnium occasionum,

CVM Pontificius Auius nuper epistolas aliquot de actionibus cum Præceptore nostro Legatorum Saxoniorum ediderit, ut probet dissidia esse in nostris Ecclesijs: Et Flacius Illyricus edito nouo libro Præceptorem nostrum acerbissime accusare dicatur, quod huius culpa, & nulla tranquillitas in nostris Ecclesijs instaurari possit, & illis tum actionibus Legatorum Saxoniorum & Megalopolensium nihil profectum fuerit, deq; his rebus odiosissime ad uulgus dedamitare: operæ precium fit, uel necessitas potius flagitat, de illis actionibus breuem & simplicem narrationem edi, ex qua unusquisq; quid factum cognoscere, & quid de tota re sentiendum sit, constituere possit. Ne igitur ad Pontificiorum mutilas, & aliorum partim incertas, partim falsas narrationes respici necesse sit, neue Flacij criminationibus ueritati obstruatur, ideo hæc integræ descriptionis opera suscepta est, in qua quæ narrantur eiusmodi sunt, ut sanctissimis testibus comprobaturi simus omnia, si quid in hac uspiam quisquam inuadat, ad ipsorum etiam Legatorum testimonia prouocantes: In reliquis si quid alicubi nostra culpa commissum fuerit, ea ne causæ impotentur lectores admonitos, & quicquid scribitur, simpliciter & sine calumnijs accipi uolumus. Res igitur acta sic est,

Anno M. D. LVI. admonitus Illyricus a quibusdam sollicitis de Ecclesia & salute Germaniæ, ut componi rem & se placari pateretur, præ se tulit, quod ipse etiam concordiam ualde expeteret, Ideoq; illi pacificatores amplius hoc egerunt, ut Illyricus aut ad Præceptorem nostrum scripta Epistola de illa sententia sua testaretur, aut uel huic uel alijs, de concordia, quomodo reconciliari eam posse iudicaret, rationes suas exponeret,

I

Sed ad

Sed ad Philippum tum non libuit scribere Flacio. Itaq; consignauit tantum capita quaedam absurda, de quibus infra cognoscetur, quæ directa eo fuere, ut teterrimorum facinorum, de quibus per annos iam 12. eum accusat, Philippus se confessione simplice condemnaret, eaq; capita Vitebergam misit ad Clarissimum uirum Paulum Eberum, eiusq; de his iudicium percontatus fuit. Ad quæ tamen, quod iniquissima postularentur, neq; ad eiusmodi postulata ulla tractatio suscipi posset, nihil neq; potuit neq; debuit responderi. Fit horum capitum mentio infra in responsione scripta D. Præceptoris ad primam orationem Legatorum Saxoniorum, quæ notam habet literæ C.

Ita hærente re, iterum a pacificatoribus admonetur Illyricus, & datur negocium, etiam ab ipso Flacio, Huberto Langueto uiro integerrimo, cuius uirtus & candor multis in diuersis partibus orbis terrarum cognita est, & qui tum forte Magdeburgam aduenerat, in qua Vrbe eo tempore Illyricus degebat, ut Philippi Melanthonis animum & uoluntatem exploraret, an tractationes cum Illyrico ut susciperentur & colloquia instituerentur, laturus uideretur. Hoc factum fuit Mense Iulio Anni LVI.

Interea cum hæc aguntur, libellum composuerat Flacius, qui paulo post editus fuit lingua Germanica, cum titulo de Concordia, de quo quibus conditionibus componi rem uellet intelligi posset. Est enim ille quasi explicatio quaedam capitum seu articulorum, quos antea ad Eberum missos diximus, & de quibus infra sæpe dicetur.

Hubertus dum mandatam rem ut exequatur proficiscitur, interea liber ille de Concordia Flacii excuditur, atq; hoc modo quasi Induciæ uiolantur ab Illyrico. Non tamen ne sic quidem deterretur Hubertus, quin cum Præceptore de ijs, quæ receperat, ageret. Sed de his omnibus legatur supra plenior narratio, quæ huic præmissa est.

Vt autem quale responsum accepisset Hubertus docere posset, Philippus Melanthon per Epistolam respondit hoc exemplo, ut sequitur.

INTE

A.  
INTEGERRIMO VIRO HVBER-  
to Langueto fratri suo charissimo, S. D.

**D**ixit quidam ex ueteribus amicis nostris, me  
opprimendum esse, ne impediam ea, quæ  
ipsi moluntur. Ego uero cur ipsos impedire  
dicor, cum taceam & calaphos accipiam, & ne  
quidem manifestas iniurias depellam? Viuo in  
luctu & ingenti dolore, propterea quod ab ipsis  
& impediri piorum colloquia, & explicationem  
rerum maximarum uideo, de quibus & ego li-  
benter uelim cum pijs, doctis, candidis, non  
amantibus Sophisticen colloqui, propter glori-  
am Dei & communem salutem. Cum indoctis,  
rabiolis, furentibus odio, aulicis Gnathonibus,  
aut Tribunicijs hpmibus, qualis fuit Super-  
bus, & quales uideo esse Gallum & Aurifa-  
brum, quid prodest colloqui? Fuit mihi dulcis  
amicicia & familiaritas cum Illyrico, & cum eo  
libenter colloquerer de toto corpore Doctri-  
næ, Sed sparsit antea, quæ a me nec dicta nec  
cogitata fuerunt. Quare nunc quoq; insidi-  
as metuo. Utinam pari candore, quo ego li-  
benter uelim cum eo agere, mecum ageret. Sed  
nemo amicorum meorum uult interesse collo-  
quio, & iudicant mihi non esse tutum solum cum

I ij

eo cola

eo colloqui. Diu autem iam quidam p̄ij Princi-  
pes flagitant, ut aliqui p̄ij & docti conueniant,  
& quidem assidui gemitus Ecclesiæ idem expe-  
runt. Talis conuentus si erit, ut spes est, locus  
dicendi fortassis & nobis & alijs dabitur. Ego  
nihil moueo, nihil molior, non munio me facti-  
onibus, Quod si uellem facere, non deesset mihi  
consilium. Sed meo loco doceo literas utcunq̄,  
publicæ utilitatis causa, & in hac senectâ ani-  
mum meum ad mortem præparo, a qua non  
procul absom, & filium Dei oro, ut me faciat  
uas misericordiæ. Quærant alij regna & po-  
tentiam, nihil hæc ad me pertinent. Iudicabit de  
cursu & de uoluntate cuiusq̄ Filius Dei, qui  
scit me optare ut ueritas illustretur, ornetur glo-  
ria Dei, & ut sit Ecclesia non deformis. Cum  
hac conscientia uiuo, & me Deo commendo.  
Scio me miserum hominem esse, & non esse  
*ἀναμάστητον*. Sed in hac uocatione quod fuerit stu-  
dium meum, qui labores, & quæ uoluntas, spe-  
ro multos honestos homines & prudentes con-  
siderare. Die 15. Iulij Anno 1556.

Philippus Melanthon.

**H**Ac Epistola Præceptoris commotus Illyricus id fecit, quod  
primum pacificatores monuisse diximus, ut Philippo scri-  
beret. Interea autē aliud quoddam Scriptum Archilochium  
contra Præceptorem sparserat. maledicentissimum, & infamans  
omnes

omnes, cui præscripserat nomen ciuitatis Hamburgensis (a qua & subscriptionem petisse dicitur, sed frustra) ut probaret, scilicet se tranquillitatis amantem esse, neue dubitari posset, hoc eum animo agere, ut res componeretur. Postea igitur ad Melanthonem literas mittit, quibus post minas & expostulationes multiplices de componendæ rei conditionibus mentionem facit, in quo quæ consilia secutus uideatur, præcedens narratio exponit, & aliquanto planius explicabitur suo loco deinceps. Sed illæ literæ quales fuerint ex responsione ad eas D. Præceptoris intelligi poterit, quæ fuit talis.

B.

RESPONSIO D. PHILIPPI MELANTHONIS ad literas Illyrici.

**N**Arras mihi beneficia tua quod non edideris Epistolam ad Teupolum scriptam. Nullam unquam syllabam ad eum scripsi. Augustæ cum Teupolus fuisset apud optimum Principem Ducem Saxonie Iohannem Electorem, & ei detulisset Veneti Senatus officia, postea missi sumus ad eum ego & uir Clarissimus D. Pontanus Pater, & ego iussus sum agere gratias Senatui Veneto nomine Principis. Id fieri non potuit sine commemoratione controuersiarum religionis. Ibi ille post meam orationem, aliquam adiecit exceptionem: Nolle Senatui Venetum sic intelligi suam orationem, quasi doctrinæ Ecclesiarum Ducis Saxonie faueat. Respondi, nos non complexos esse hanc causam. Postea dixi, ut necesse erat, de Principis

l. iij

uirtute

uirtute, uera pietate eum amplecti Catholicæ  
Ecclesiæ doctrinam, Improbare autem abusus,  
& optare, ut controuersia quæ inciderunt, rite  
dijudicentur, & saluti Ecclesiæ uniuersæ consu-  
latur. In hanc sententiam apud hominem inimi-  
cum nostris, aut certe ignarum rerum Germa-  
nicarum, & miscentem nostros alijs furenter tu-  
multuantibus, quædam communia ad nos excu-  
sandos dixi, nec memini omnia uerba, Non  
enim tunc existimaui, me post annos sex & uis-  
ginti <sup>ὑπεύθυνον</sup> fore. Inde illa Epistola nata est, po-  
stea mea uerba quoquo modo annotata sunt.  
Obiecit eam mihi & Rorarius antequam hinc dis-  
cessit. Mirabar quid esset. Postea Marchio Io-  
hannes exemplum mihi misit. Nunc cogita,  
quam grauius faciat, quisquis commenticiam  
Epistolam edit. Deinde quid prodest talia in  
uulgus spargi? Quo hæc consilio fiant non est  
obscurum. Edidisti & formulam Lipsicam, cor-  
ruptam & mutilationibus & additionibus, ut in  
mea publica responsione exponam, & nun-  
quam à me subscriptam. Quæ te causa mouet,  
ut ueterem amicum, qui te uere dilexit, talibus  
artificijs oppugnes? Non recuso subire iudicia  
honestorum uirorum, si qui uolent hanc rem  
cognoscere, Et quæ non feci tribui mihi nolim,  
quæ feci fatebor. Postquam alibi & nata & pro-  
lata est



lata est Sphynx illa Augustana, cum in has terras aduecta est, suasi initio, ne Ecclesiae ullius rei mutatione turbarentur. Edidi & breuem ac simplicem refutationem de doctrina illius nouae farraginis. Sæpe etiam in aulicis deliberationibus dixi, uiros politicos considerare debere, quid obtinere sit possibile. Conari autem eos rem impossibilem. Et de rebus magnis, de Missa, de Canone, cum doctis & astutis hominibus magna mihi fuerunt præcipue certamina. Hic nobis obijciabatur, nihil mutare uolentibus, Nos quærere nouorum motuum occasiones, conspirare cum alijs gentibus, patriæ noua bella attrahere. Et erant qui nominatim hunc nostrum consensum nuncupabant Theologicam coniurationem. Ac nos miseri tunc ab Aulicis lacerabamur omnibus probris: nunc à uobis laceramur. Tandem Princeps nobis sua uoce dixit, se non petere, ut doctrina mutetur, aut ulla res necessaria, sed ut ritus externos in ordine Festorum, lectionum, uestitu, retinerent Præsbyteri. Hæc postea Consiliarij nominarunt Adiaphora. Nam ab ipsis uocabulum nobis ab initio propositum est. Etsi sciebam etiam leuissimas mutationes ingratas fore populo: tamen cum doctrina retineretur integra, malui nostros hanc seruitutem subire, quam deserere

ministe

ministerium Euangelij. Et idem consilium me  
Francis dedisse fateor. Hoc feci. Doctrinam cō-  
fessionis nequaquā mutavi. Eo etiā de ritibus his  
medijs minus pugnavi, quia iam antea in plerisque  
Ecclesijs harum regionum retenti erant. Postea  
uos contradicere cœpistis: Cessi, nihil pugnavi.  
Ajax apud Homerum prælians cum Hectore,  
contentus est cum cedit Hector, & fatetur ip-  
sum uictorem esse. Vos finem nullum facitis cri-  
minandi. Quis hoc hostis facit, ut cedentes &  
arma abijcientes feriat? Vincite, cedo, nihil  
pugno de ritibus illis, & maxime opto, ut dul-  
cis sit Ecclesiarum concordia. Fateor etiam hac  
in re à me peccatum esse, & à Deo ueniam pe-  
to, quod non procul fugi insidiosas illas delibe-  
rationes. Sed illa quæ falsò mihi à te & à Gal-  
lo obijciuntur refutabo. Et hæc de medijs riti-  
bus iam tibi scribenda esse duxi, quia in Episto-  
la tua de his præcipua pars est. Venio ad po-  
stremam partem de propositione Maioris, ubi  
occasionem noui certaminis te quærere uideo.  
Semper hortatus sum Georgium, non solum ut  
declararet suam sententiam, quod fecit, sed ut  
illam formam uerborum abijceret, & promisit  
se ea non usurum esse. Quid petam amplius?  
Idem egi cum alijs. Cur Menius à suis accusa-  
tus sit non scio. Ego ei de Concione quadam  
edita

edita respondi, in qua non legi illam propositionem: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Nec ego hac forma uerborum utor. Sed de necessitate fateor, me Antinomorum furores ante uiginti annos reprehendisse, cum aulicus Concionator toto theatro applaudente diceret: Das Muss ist versalzen. Et quomodo has propositiones ueras & æternas esse dicam, satis enarraui. Noua obedientia est necessaria, quia ordo necessarius est, ut creatura Deo obtemperet. Et insulsissima est interpretatio eorum, qui dicunt, Necessarium significare extortum metu seu coactione. Nec existimo in hac questione te à me dissentire. De conditionibus pacis, quas scribis, quia illæ ad multos & ad Principes quoque pertinent, malim conditiones scribi à iudicibus, etsi iam habes conditiones explicatas. Sit nobis omnibus eadem doctrinæ norma, Confessio Ecclesiarum nostrarum. Et cum nos de ritibus non pugnemus, imo & cedere nos fateamur, desinite uos tandem criminari, nec cumulate falsa crimina. Simus potius coniuncti & beneuolentia mutua & sententijs aduersus horribiles furores hostium filij Dei, quem non solum Papistæ contumelia adficiunt, sed etiam alij multi. Quidam Lituani renouat Serueticam seu Samosatenicam. Pragensis Cynicus non desinit

K uociferas

uociferari, Christum non inuocandum esse ut  
Mediatorem, De his tantis quæstionibus &  
colloqui pios & eruditos, & sententias, cogitatio-  
nes & consilia conferre oportebat. Nec tu igno-  
ras, hæere inter nostros quæstiones nos le-  
ues, quarum explicatio necessaria est, & toti po-  
steritati prodesset extare multorum eruditorum  
uera testimonia, communi deliberatione edita  
de tantis rebus, Talem deliberationem quæ  
causæ impediunt non ignoras. Certant odij &  
factionibus multi indocti. Interea & ueritatis  
illustratio impeditur, & confirmatur rabies in  
Papistis, & crescit petulantia malorum ingenio-  
rum, quæ serunt nouas & Ethnicias opiniones.  
Ideo nos oportebat ad defensionem & illustra-  
tionem ueritatis coniunctiores esse. Et quotidie  
oro filium Dei custodem Ecclesiæ, ut faciat ut  
unum in ipso simus. Quod de uersiculis scribis,  
qui editi sunt, me nolente editi sunt, & tu inter-  
pretationes atroces affingis. Collegisti magnum  
aceruum criminationum aduersus me in scripto  
misso ad Hamburgenses, de quibus iam nihil ex-  
postulo tecum. Reprehendis quod repetitio-  
nem Confessionis scripsi. Scripsi & priorem,  
cum quidem reprehensores haberem multos,  
adiutorem neminem, nec opinor eas dissentire.  
Et in Exordio est generalis Confessio; Amplecti  
nos omnes

nos omnia scripta Prophetica & Apostolica, & in ea sententia, quæ in Symbolis expressa est, hæc uerba in priore desunt. Et existimo cæteras materias commodius recitatas esse. Deest & in ueteri distinctio peccatorum, quæ sunt in Sanctis, & illorum quæ expellunt Spiritum Sanctum. Has causas & alias honestas habuimus repetendæ Confessionis. Sed commendo iudicium de toto meo cursu Deo καρδιω γνώση, & oro eum, ut seruet Ecclesiæ reliquias, & nos gubernet. Bene uale. Die 4. Septembris. Anno 1556.

Philippus Melanthon.

**H**anc Epistolam propter multas causas edendam putauimus, quod & iam ante in omnium manibus sit, & quod Illyricus hanc spargere & ostentare dicatur, ut Chirographum, quo se Philippus ipse condemnet. Sed & ad hoc & alia quædam Flaciana respondetur supra in præmissa his narratione, quæ inde huc assumantur.

Eodem tempore & Gallus ad Danubium à se scriptiones minabatur contra D. Philippum horribiles, & Flacius per Venerum περι λόγος tentauit Præceptorem, ut omnibus à partibus planum fieret, à Flacio & Flacianis nil nisi tranquillitatem quæri.

Sed exacerbatis contra Præceptorem & harum Regionum Ecclesias uniuersas, animis multorum, duobus Scriptis inter illas tractationes ab Illyrico editis, de Concordia uno, & ad Hamburgenses altero, non quidem typis expresso, sed sparso tamen per totam Saxoniam, quod inde huc etiam ad nos VVitebergam allatum fuit. His igitur scriptis, & alijs quibusdam artibus (quæ etsi minime obscuræ sunt, in præsentia tamen non debent commemorari) tantum perfecit Illyricus, ut ex quatuor præcipuis Saxonis ciuitatibus VIII. uiros conficeret, qui ad D. Philippum VVitebergam mitterentur. Sed quæ illæ ciuitates, & qui missi fuerint,

infra cognoscitur ex scripto cum nota D. cui nomina & sua & ciuitatum illarum autores ipsi subscripserunt.

Hac specie & magnificentia actionis talis obruere se Flacius posse existimauit ea, quæ & Philippus de illis rebus ad ipsum & Hubertum scripserat, Sed inprimis quæ ipse Flacius quasi inducijs uiolatis interea turbulente egerat, editis & emissis scriptis hjs de quibus diximus, & à se & à suis complicibus, Neue gloriatio hæc ei ullo modo euerteretur, tranquillitatem à se quæsitam, qua nunc etiam insolentissime dicitur in nouo libro suo exultare. Sed de his alias.

Cum his igitur VIII. uiris, anno 1557. Mense Ianuario ex Saxonia Vitebergam uersus, Illyricus iter ingreditur, ipse in uicino oppido Principis VVolffgangi Anhaltini, &c. Cosobicio subsistit, quod Vuiteberga distat duobus parasangis. Reliqui VVitebergam pergunt, & ueniunt huc die 18. Mensis Ianuarij post meridiem. Qui an Legati, an Cognitores, aut Arbitri fuerint, an utrunq; & utrum magis & diligentius egerint, acta doceant: nos quidem in nostra narratione Legatorum nomine utemur. De eo autem inter hos & Illyricum conuenit, ut ad ipsum de omnibus rebus Cosobicium referretur, neq; quicquam ratum haberetur quod ipse non approbasset.

Qua die in urbem uenerunt, ea post meridiem hora 3. Brunswicenses soli ad D. Philippum uenerunt, & de Collegis indicauerunt, qui cum de cæterorum aduentu cognouisset, ipse etiam ad Hamburgensium diuersorium abiit, ut cæteros salutaret. Atq; ut hoc etiam, quantumuis tenue, manifestis de causis non omittatur, Eadem uespera inuitat Legatos uniuersos, ut postridiana die cum ipso in cæna essent, quam & condixerunt uniuersi, & illa humanissime fuere accepti. Qua eadem die significarunt ei Legati, se habere de quibus cum ipso agant. Itaq; constituit eis Præceptor sequentis diei horam matutinam sextam, quo tempore eos esset auditurus.

Die igitur ab aduentu Legatorum tertia, quæ fuit 21 Mensis Ianuarij, hora 6. matutina, cum uenissent illi in domum Philippi Melanthonis, cum eo solo agere uolunt de negocio, ut infra patebit, pertinente ad plures. Et tum quidem D. Ioach. Morlinus, qui in ea Legatione primas habuisse, & Flaciana omnia gubernasse putatur, nomine uniuersorum breuiter uerba fecit, in hanc ferme sententiam (sicut ex ipsius Præceptoris & aliorum narrationibus  
multi

multi nostrum acceperunt) ut testarentur de dolore suo propter  
dissidia & certamina quæ in Ecclesijs extitissent, quibusq; illæ gra-  
uiter affligerentur, Eaq; ut tollerentur, ideo se à ciuitatibus suis ab-  
legatos uenire, ut tentarent, si ipsorum opera concordia posset res  
conciliari, eaq; de re D. Præceptoris uoluntatem & sententiam se  
audire, & concordia constituendæ rationes, ab ipso demonstrari  
cupere. Sic autem de illis dissidijs questi fuere, ut intelligi posset,  
uel Legatos ipsos uel alios ita sentire, quasi Philippi Melanthonis  
& Theologorum nostratium culpa ea extitissent.

Ad quæ statim & ex tempore D. Philippus aliquanto copia-  
sius respondit talia ferme, quemadmodum hsdem referentibus  
didicimus: Etiam se illis Ecclesiæ uulneribus affici non minus  
quam quenquam alium, & se quoq; ex animo sanctæ consensio-  
nis cupidissimum esse, quod ipse etiam intelligeret neq; minus  
consideraret quanta mala ex illis dissidijs & quotidie orirentur, &  
paulo post de præsentibus molitionibus metuenda essent. Ideoq;  
se semper dedisse operam quantum potuisset, ut Ecclesiæ doctrina  
incorrupta & diserta extaret, & pacis causa ad plurimas & grauissi-  
mas iniurias hactenus tacuisse, neq; nunc se ullo modo deesse uelle  
communi concordia, & laudare studium & Ciuitatum & Legatorum,  
qui hoc idem agerent, & se utrisq; hoc nomine magnas gra-  
tias agere. Sed eorum dissidijs, quæ Illyrici scripta in Ecclesijs  
nostris commouissent, de his se explicaturū paucis rem uniuersam.  
Cum post bellū deliberationes susceptæ fuissent, ut de ritibus Ec-  
clesiarum in his Regionibus cōsensio fieret, & ad postulata Cæsaris  
de libro Augustano quid in his fieri posset quæreretur, se suo  
loco expositis causis dissuasisse, & quidem uehementissime, ne ulla  
rituum mutatio fieret. Sed cum Illustriss. Princeps Mauricius Ele-  
ctor &c. ipse etiam sua uoce de consilio & uoluntate sua grauiter  
testaretur, seq; nihil aliud spectare aut agere, quam ut salua & in-  
tegra doctrina, omnia ab his Regionibus pericula auerterentur,  
neq; nisi quod pie & cum bona conscientia fieri posset, concedi  
postulare aut uelle, Tum se respondisse, quod de Adiaphoris,  
doctrina integra, non uellet pugnare, atq; idem se postea consilio  
um alijs dedisse, ne in tali re & causa Ecclesias desererent. Hæc ita se  
habere, non aliter, & de his actionibus & consilijs suis uniuersis  
scripsisse se paulo post diligenter & copiose, ad Reuerendum uir-  
um D. AEpinum. Si igitur Legati uenirent ut Flacianas condi-  
tiones ei ferrent, quibus reciperet in se, quæ neq; postulata neq;  
K in approbas

approbata neq; cogitata à se unquam fuissent, rectius facturos Legatos fuisse, si se domo non commouissent: Nam illas condiciones se nullo modo uelle aut posse admittere: Non se si in carcere teneretur, & ultimi supplicij ei poena intenderetur, hoc unquam facturum: Sed & Dei beneficio nondum sibi illam necessitatem imponi, & se quicumq; esset aut haberetur, non tamen ita esse fractum animo tam multorum annorum continentibus calumnijs & criminationibus, ut talia subire uelit. Sin concordiae causa adessent Legati, libentissime se & humanissime de singulis capitibus doctrinae Christianae uniuersae cum ipsis conferre uelle, quae hoc uno modo rectissime constitui posset.

Ad hæc Legati præfantes quædam, & testantes de sua erga Præceptorem studio & affectione, postea petiuerunt, ut suam responsionem scripto comprehensam eis tradere ne grauaretur, ut & ad suos & alios, quorum id interesset, certius omnia referre, & re deliberata ad singula respondere possent. Quibus ut obsequeretur atq; satisfaceret, statim eadem hora scriptum hoc composuit, & Legatis postea tradidit, quod subiicimus,

C.  
D. PHILIPPI MELANTHONIS  
scripta responsio ad ea quæ Legati Saxo-  
nici primo congressu exposuerunt.

**P**Rimum oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui uere colligit æternam Ecclesiam uoce Euangelij, ut in hac horribili confusione generis humani semper in his Regionibus colligat & seruet Ecclesiam, & aliqua ei honesta & tranquilla hospitia tribuat, & faciat, ut quam plurimi unum sint in ipso. Deinde gratias ago & ipsis Ecclesijs honestissimarum Ciuitatum, &  
Legatis



Legatis uiris Reuerendis, qui pie conantur uul-  
nera nostra sanare, Vt autem semper adfirma-  
ui, me & esse, & Deo iuuante permansurum esse  
ciuem harum Ecclesiarum, ita iudicijs earum  
me & subieci & subiicio, & si Pastores uolent  
esse arbitri, non detrectabo eorum autoritatem.  
Me autem cupidum esse tranquillitatis publicæ,  
iudicari ex silentio meo potest. Taceo & co-  
laphos accipio. Interea nullum finem maledicen-  
di faciunt Flacius & Gallus. Incitantur aduersus  
me aulæ & populus mirabilibus artificijs.  
Magis autem inflammarentur dissidia, & plures  
controuersie mouerentur, si responderem. Sum  
igitur usus hoc consilio: Tacere & cedere malui,  
quam augere publicas discordias. Sed Deo iu-  
uante non deerit mihi honesta oratio, si quando  
respondebo. Intueor etiam iudicia prudentum,  
qui non alienantur à me Sycophanticis clamo-  
ribus aduersariorum. Aliquam leuationem mi-  
hi & hæc spes adfert, quod non multo post ex  
teterrimis confusionibus huius Mundi in Eccle-  
siam coelestem ducente filio Dei discedam, in  
qua & tranquillitas erit, & dulcia erunt studia  
ueritatis. Spero autem posteritatis eruditæ iudi-  
cia de meis laboribus æquiora fore. Usitatum  
est autem, Arbitros ferre condiciones. Ideo à  
Reuerendis uiris, qui tollere nostras controuersias conan-

as conan-

Gallus  
de Libe-  
ro arbi-  
trio.

as conantur, expecto conditiones. Nam illas, quas Flacius mihi tulit in scripto contumelioso, quod anno proximo edidit, cur accipere recussem habeo iustas causas. Postulat multa falsa comprobari, & miscet aliena negocia. Cum autem uelint arbitri, & me ostendere uiam concordiae, iudico primum omnium necesse esse, ut de toto corpore doctrinae inter nos conueniat, & absint astutae occultationes. Quid prodest nunc de Adiaphoris pacem fieri, si postea uult materias mouere, de quibus rixae erunt multo periculosiores, ut facturum se ostendit? Complotendi sunt etiam socij, qui rabiosius uociferantur quam ipse, & mouent quaestiones grauiores. Nunquam adhuc Flacius dixit de toto corpore doctrinae quid sentiat. Excerptit & labefactat quaedam in nostris, ubi reprehensionem uidet suo theatro gratam esse, de alijs astute tacet. Me etiam reprehendit, quod Confessionem repetiui, comprobata multorum doctorum & piorum testimonijs. Nec dicit cur reprehendat. Ego profiteor me ciuem esse earum Ecclesiarum, quae amplectuntur confessionem nostram quae extat, & profiteor me sentire ea, quae in Confessione recito. Constituto expresso & pio consensu doctrinae, cum nos neque de Adiaphoris pugnemus, neque de iniurijs, quas accepimus, fas

mus, faciat ipse etiam maledicendi finem, & sit  
mutua beneuolentia, non fucosa, & sit finis insi-  
diandi, calumniandi, incendendi odia, & simus  
coniuncti ad defensionem uerae doctrinae iuxta  
Symbola & certam confessionem. Qua in re ex-  
istimo meos labores mediocres esse, & pugna-  
rem libentius, si non impedirent me calumniae,  
quibus nostra deprauantur ab his, qui uideri uo-  
lunt coniuncti in eadem causa, ut scriptum est:  
Calumnia conturbat sapientem, & frangit ro-  
bur cordis eius. Hanc commemorationem  
affero Reuerendis uiris, & permitto, ut ipsi pro  
sua pietate & prudentia quaerant remedia ma-  
gis salubria. Me semper fuisse cupidum pacis  
plerique norunt, quibus mea uita nota est, qui sci-  
unt, me annos fere triginta saepe magnis iniurijs  
affectum esse, easque refutasse non rixando, sed  
placide ferendo. Oro autem Deum aeternum  
patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos om-  
nes gubernet.

Philippus manu propria.

Die 21. Ianuarij. Anno 1557.

**H**oc esse uerum exemplum responsionis scriptae illius, de ar-  
chetypo planum fieri potest, quem scimus extare: id quod  
ideo testamur, quod Illyricus in conuentu Ministrorum  
Magdeburgensium negasse scribitur, D. Philippum de uniuersa  
doctrina cum Illyrico conferre cupere. Cum idem de se testetur  
D. Praeceptor in Epistola ad Hubertum supra proposita cum no-  
ta A. L Hoc au

Hoc autem loco considerandum omnibus pijs & intelligenti-  
bus proponimus, an ulla omnino ferri aut cogitari possit melior  
& rector conditio instaurandæ sanctæ & certæ atq; firmæ tran-  
quillitatis & concordia in Ecclesia, quam si in doctrina ueritatis  
uniuersa, consensus exploretur & constituatur, qua constituta, nihil  
iam amplius in Ecclesia turbare potest aut debet, sed omnium  
dissidiorum & certaminum hoc uno modo causæ & occasiones  
uniuersæ præciduntur.

Hanc conditionem cum laudent ipsi Legati, & optimam &  
compendiosissimam uiam esse, ad concordiam responsione sua  
(quæ mox subiicietur) testentur: tamen ipsi recedentes ab hac op-  
tima formula proposuere alias, quas ipsorum etiam iudicio necesse  
iam erit esse minus bonas & compendiosas. Deinde tales conditi-  
ones ferunt, de quibus iam eis D. Philippus & uehementer dixe-  
rat, & diserte scripserat, se eas neq; posse neq; uelle recipere. Pro-  
posuerunt enim easdem ferme, uel saltem confimilimas ijs conditi-  
onibus, quas præcedente anno Illyricus & publicis & priuatis  
scriptis suis tulerat. In qua tamen parte Legatorum illi non Arbi-  
trorum munere functi uidentur, ut de Illyrici sententia & uolunta-  
te uel imperio etiam hæc illos hoc modo egisse manifestum sit, &  
hæc culpa Illyrico, non ipsis, a nobis imputetur, uel potius & Illy-  
rico & uni & alteri, qui illas actiones ex Illyrici sententia guberna-  
bant. Sed omnia de ipsorum Legatorum scripto æstimentur & iu-  
dicentur, quod ad scriptam responsionem Dn. Præceptoris rede-  
diderunt eadem die huiusmodi.

D.  
SCRIPTVM LEGATORVM, &c.

**R**euere[n]de Domine Præceptor. Nos ex animo  
agimus immensas gratias Deo, quod nos in hoc  
loco collegit, ut de rebus maximis, & ad ædifi-  
cationem Ecclesiæ necessarijs pie & amice colloqui &  
conferre possimus. Et oramus filium Dei Dominum no-  
strum Iesum Christum caput & Pontificem nostrum, ut  
iuxta suam dulcissimam promissionem in medio nostrum  
adsit, & omnia nostra consilia, colloquia & actiones suo  
spiritu

spiritu sancto gubernet, ut faciamus utilia & salutaria  
Ecclesiae. Deinde etiam ingentes gratias agimus uestrae  
Reuerentiae, quod tam paterne & amanter sumus accep-  
ti. Rogamus etiam & per Dominum Iesum Christum  
obsecramus, ut uestra Reuerentia sic omnino de nostra  
uoluntate statuatur, quod hanc longam profectionem  
hoc tempore non aliam ob causam susceperimus, quam  
ut (adiuuante diuina gratia) Ecclesiae uulnera pro nos-  
tra mediocritate sanare coneremur. Etsi autem nun-  
quam de uestrae Reuerentiae pia uoluntate, & ad studiu-  
m pacis propensissima, dubitauimus, tamen ualde laetis  
animis uestrae Reuerentiae scriptum hodie legimus, quo  
nobis facta & confirmata est spes Christianae transactio-  
nis istius causae, propter quam huc uenimus. Iudicamus  
ualde utile & necessarium esse ad concordiam, ut de to-  
to genere doctrinae sit summa consensus. Haec est opti-  
ma & compendiosissima uia ad piam pacem, quam ue-  
stra Reuerentia nobis monstrauit. Sed quia petiuit ue-  
stra Reuerentia, ut nos etiam pro nostrorum ingenio-  
rum tenuitate cogitarem de remedijs pijs & utilibus,  
ideo & officij nostri & ipsius causae rationem id a nobis  
postulare iudicauimus, ut uestrae Reuerentiae petitioni  
obsequeremur. Ac deliberata inter nos tota causa, iudica-  
uimus, non tantum propter Ecclesiam quae nunc est,  
sed etiam propter posteritatem, horum articulorum dis-  
ligentem considerationem esse pernecessariam,

I.

Consensus constituatur in doctrina iuxta con-  
fessionem Augustanam, Apologiam & Smalcaldicos  
articulos.

L ij

Reñcis

II.  
Reijciantur omnes contrarij errores Papistarum,  
Interimistarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum.

III.  
Ex articulo Iustificationis tollantur omnes cor-  
ruptelæ pugnantes cum sincera doctrina Apostolica, &  
Augustana confessione. Præcipue corruptelæ de ne-  
cessitate operum, ad salutem.

III.  
Saxonicæ Ecclesiæ non possunt discedere à Con-  
fessione, quam ediderunt tēpore proximæ persecutionis.

V.  
Ne fiat conciliatio cum Papistis de ceremonijs,  
nisi prius conuenerit de doctrina, & ipsi desierint esse  
persecutores ueræ doctrinæ.

VI.  
Tempore persecutionis edatur ingenua confes-  
sio, & non admittatur seruitus pugnans cum libertate  
Christiana.

VII.  
Petimus quoque amanter à Reuerendo Domi-  
no Præceptore, ut publico quodam scripto contestari  
uelit, suam sententiam de rebus adiaphoris, & necessi-  
tate operum ad salutem, cum nostrarum Ecclesiarum  
confessione coniunctam esse.

VIII.  
Si altera pars existimatur occultare aliquos erro-  
res, requiratur declaratio.

Rogamus Reuerendissime Domine Præceptor,  
ut uestra Reuerentia de his articulis, quos ex sinceris  
cordibus (quod nouit Deus cordium inspector) offeri-  
mus,

mus, nobis suam mentem & uoluntatem declarare uel  
lit, ut cum altera quoque parte agere possimus. Domi-  
nus Iesus Christus, qui est autor & donator omnis ueræ  
ac piæ pacis, omnes in unitate fidei & charitatis conser-  
uet & retineat, Ac uestram Reuerentiam diutissime ser-  
uet incolumem propter Ecclesiam. Die 21. Ianuarij.

Valentinus Curtius Superintendens Lu-  
becensis cum suo collega.

Ioachimus Morlin D. Superintendens Brun-  
suicensis cum suo coadiutore.

Paulus ab Eitzen D. Superintendens Hambur-  
gensis cum suo collega. Qui fuit Ioachimus  
Vuestphalus. V. CL.

Fridericus Henningus Superintendens Lune-  
burgensis cum suo collega.

**I**N hoc Scripto latae conditiones quales sint & quomodo his  
D. Philippus & Ecclesiæ nostræ prægrauentur, consideretur,  
præsertim cum Legati in his proponendis posteritatis respectu  
se commotos scribant.

In capite seu articulo primo insimulatur Dn. Præceptor (cum  
hoc enim, & quidem solo, tum actum fuit) ut autor dissensio-  
nis. Quomodo enim postuletur consensus, si non ab hoc recessum:  
quod de se Illyricus negat. Philippus ergo à consensu recessit, ut  
huius culpa, non Illyrici, hæc in Ecclesia dissidia extiterint. Etsi nihil  
opus hæc inde elici & demonstrari, cum tot extent disertæ accusa-  
tiones, quibus iam annis decem utitur. Sed tamen in hoc etiam  
capite eam repeti, sciri oportet. Explicatur tamen hoc plane in  
articulo secundo, & in quibus à consensu Augustanæ confessionis  
recesserit ostenditur. Quomodo enim ut reiiciat Papistarum, Inter-  
rimistarum, Sacramentariorum errores iubebitur, qui nullos ad-  
misisse aut retinere iudicatur, neq; de his insimulari possit. Etsi  
de Interimistarum & Papistarum erroribus infra est repetita accusa-  
tio. Et scribere in nouo libro suo Illyricus impudenter dicitur,  
quod de Transsubstantiatione dogma nostræ Ecclesiæ admiserint.

L in

In tertio

In tertio accusatur corruptelarum Dn. Præceptor (huic enim uni hæc conditio fertur) quas ipse in articulo de Iustificatione usurparit, & ab alijs in Collegio suo usurpari ferat, Atq; infra diserte illæ corruptelæ quæ sint ab Illyrico explicatur.

In quarto pronunciat, quæ Saxonicae Ecclesiae de Adiaphoribus ediderint, ea contra D. Philippum Melanthonem & nostras Ecclesias edita esse, & has illis condemnatas, eamq; condemnationem iustam esse, quippe à qua recedere non possint. Itaq; nostræ accusantur, quod de Adiaphoribus ueram doctrinam in his D. Philippus non retinuerit. Hæc ita in hoc capite inesse, & alia multo testiora, infra de ipsius Flacii explicatione cognoscitur, cum hunc articulum repetit, & appendicibus explicationis loco additis, quam intelligi Saxonicam confessionem uelit, edocet, de quo suo loco.

Quintus insimulat de ijs, de quibus & Illyricus scripta ad se D. Præceptoris Epistola, & paulo ante Legati cognouerunt, rem non ita se habere. Docuerat enim eos D. Præceptor oratione sua, non conciliationem cum Papistis, sed nostrarum Ecclesiarum, salua doctrinae ueritate, salutem quæsitam esse, & ne ullius molitionis aut seuiçiae prætextus aliquis Papistis offerretur. Assumantur huc etiam ea quæ infra in responso dato Legatis Megalopyrgensibus leguntur.

Sextus etsi uerbis præcipit, quid deinceps fieri debeat, ut simplex admonitio uideri possit, tamen re ipsa eum, cui fertur, accusat, ut qui ingenuam & salutarem confessionem non præstiterit, & pugnantem cum libertate Christiana seruitutem admiserit. Cuius & alias semper tam D. Præceptorem quam Ecclesias nostras uniuersas Flacius & Flaciani accusant, cum planum facere hæcenus non potuerint, neq; ullo unquam deinceps tempore, Christo gratia, hoc facere poterunt. Sed de his etiam hoc loco Philippum insimulari, indicandum fuit. Nam hæc conditio & conditio est, & hoc præscribit, ut hanc in se culpam Philippus recipiat, si amicum Flacium habere uelit. Præterea de officio admonentur tantum ij qui non præstant, Qui iam hoc agunt, ad eos admonitione talis non est opus. Nam Flacii figuratam hanc esse admonitionem dici non potest, cum manifestæ accusationes huius extent aliæ.

In septimo insimulatur, quasi ab ijs qui recte de Adiaphoribus doceant, diuersam, & ex consequenti falsam doctrinam Philippus usurpet, & repetitur insimulatio quarti, quod pristinam & ueram doctrinam dos



rāmi doctrinam de his suam Philippus non præstiterit. Altera pars septimi ad tertium articulum pertinet. Itaq; quibus in hoc articulo D. Præceptor prægrauatur, ea ad tertium & quartum sunt referenda.

Octauus ita simpliciter exponitur, ut nihil fraudis subesse existimari possit. Sed si uere & ex animo hoc uoluit atq; egit Illyricus, ut omnium errorum occultationes tollerentur, quare conditionem à D. Præceptore latam non accepit, & de toto corpore doctrinæ & singulis articulis huius ut conferri secum pateretur, res fugit; neq; enim melius omnia occulta quam hoc modo explorari possunt. Præterquam quod ad totam compositionem uere constituendam ea conditio optima & rectissima est, ut diximus. Aut cur cum de definitione Euangelij & sententijs  $\omega\epsilon\rho\iota\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  Flacianæ occultationes à Philippo tum notarentur (ut infra in proximo responso D. Præceptoris legitur, quod habet notam H.) cur inquam tum non per Legatos sententiam suam iuxta huius articuli præscriptum declarauit, cum tantum non prouocaretur? His cum conuincatur Flacius non hoc esse ab eo serio actum, nimirum hic articulus insidiosus erit & ipse. Quod tamen facile intelligi possit, quale diuerticulum hoc sibi Flacius parare uoluerit, & ne odiose inquirere in ea uideamur, quæ specie aliqua palliari possunt, relinquimus in medio reliqua, ut lectores considerent, neq; de hoc capite plus uerborum facere uolumus. Et nunc ad has iniquissimas & captiosissimas condiciones, præsertim cum ipse D. Melanthon optimam & rectissimam tulisset, ad has igitur quid D. Præceptor responderit subiiciemus.

Ad supra expositum scriptum Legatorum cum nota D. statim altera die, id est 22. Ianuarij mane rescripsit D. Philippus Legatis ut sequitur.

E.

**RESPONSIO D. PHILIPPI MELANTHONIS  
ad scriptum Legatorum Saxoniorum.**

**I**Am annos triginta labores in his Ecclesijs non mediocres in docendo, in explicatione dogmatum, in quotidianis iudicijs, in conuentibus, in certaminibus insidiosis sustinui; & misereri mei uos iam decebat.

Nunc

Nunc in me unum incurritis, cum ista, quæ mihi obiiciuntur, nec à me uno acta sint, nec ad me unum pertineant. Sed accidit quod prædixit mihi Vir honestissimus Iacobus Sturmius, cum Ratisbonæ me discedentem aliosque cum alijs amicis comitaretur, eiq; dicerem, nos in hac uita non iterum conuenturos esse: Tunc ille: Imo rursus conueniemus ad te crucifigendum. Propemodum id nunc fit, cum me unum oppugnatís, & quidem de quibusdam negocijs, quæ prorsus ad me non pertinent. Si ut Arbitri accessistis, non solum æqualitas seruanda erat, sed etiam mitiganda ἐπιείκεια. Deinde nulla fit dogmatum collatio, tantum articuli proponuntur, in quibus non me tantum iugulare iubeor, sed etiam multos alios in his Ecclesijs. Flacio parcitis, iubetis petere declarationem, si quid occultare uideatur. Isti articuli non impediunt eum & ipsius manipulares, quo minus pergant me, ut uolent, exagitare. Cœpit iam atrociter reprehendere definitionem Euangelij, ait eam patrocinari Antinonis. Mouet controuersiam *πρὸς λόγον*. Dicit epistola Barbiensis, nusquam filium dici λόγον, nisi in Apocalypsi, qui liber sit Apocryphus etc. Hanc sceleratam orationem si legent homines non stolidi, quid cogitent satis intelligitis. Quam dulcis mihi fuerit amicitia cum quibusdam ex uobis, ipsi scitis. Quo magis miror, qui fiat, quod tam duriter mecum agitis. Si non adsentiar uestris articulis, concitabitis aduersus me uestros. Sin autem adsentiar, querentur multi in Ecclesijs nostris, se mea sententia læsos. Ita utrinq; mihi periculum est. Et rectius erat, hac de re cum multis agere. Sed respondebo simplicissime. De uestris articulis primum & secundum amplector, & in secundo nominatim

minatim uolo addi Serueticos, Thammericos, Antinomos, Stenckfeldianos & Osiandricos furores. In tertio Articulo mihi non displicet expresse poni hanc propositionem: Etsi noua obedientia eo ipso necessaria est, quia ordo diuinus & immotus est ut creatura Deo obtemperet, Et filius Dei non ideo missus & passus est, ut nos in peccato & morte maneamus, & confirmemur teterrimi hominum furores, Et fit donatio Spiritus sancti, ut obedientia inchoetur, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum: tamen hac phrasi non utamur: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Sed in Articulo uestro precedens membrum prorsus omitte uolo, ubi in genere dicitis de tollendis corruptelis, & me & alios accusatis, quasi hactenus corruptelas in articulo iustificationis docuerimus & defenderimus. Hoc falsum crimen in me, & in has Ecclesias nequaquam conferri uolo. Scribit Gallus a nobis corruptam esse doctrinam de poenitentia, nec dicit, ubi, in quo scripto. Ac ne suspicari quidem possum, unde sumat occasionem fingendi huius criminis. Extant mea scripta, & quidem mea consuetudo est propter adolescentiam eadem res saepe & pene iisdem uerbis repetere, & ut ille inquit: *Ἰὰ αὐτὰ τὸ ἔπος αὐτῶν* dicere. Vnde & quidam falsi dicunt, me eandem cantilenam canere. Proferri igitur ex meis scriptis aut dictis uolo, si quae ibi sunt corruptelae. Non paruo labore euolui plerasque materias ex magna confusione opinionum inde usque a prima inspectione Ecclesiarum, cum etiam in me incurrerent Aureus & alij, qui docebant, omnia necessario fieri, Et electos cum essent iustificati, postea iusta facere, Et praedicationem poenitentiae omittebant. Et quia horridas

M

formas

formas loquendi reprehenderam, & dixeram recte dici, Debere nos recta facere, ille in concione magnos plausus ciebat hoc dicto: Das Mus ist versatsen. Et possem alia multa narrare. Cum igitur iubeatis omitti corruptelas, proferantur nominatim. Et quia uideo uos longam telam de alijs quoq; materijs instituisse, oro ut pro nostra amicicia candide uos aperiatis, & semel uos euoluatis, ut mecum de tota actione deliberare possim. Quale hoc genus est disputandi inter amicos, uelut ex cauda equina pilos excerpere, paulatim una particula mihi erepta progredi, & deinde conuellere aliam particulam? Extant meae sententiae, quae si non placent, quid opus est has conciliationes instituire? Sum unicus, sine Principum & populi praesidijs, & sum persona scholastica, nec iudicia Ecclesiae defugio.

Articulos sequentes, quartum, quintum & sextum, etsi nos praegravant, recipio tamen, quia plagam aliquam accipere malo, quam uideri deesse concordiae.

Locus  
Aeschin.  
συμπέ-  
πλεγμα  
δὲ ἐν τῇ  
πολιτείᾳ  
καὶ ὑπο-  
βολῶν  
ἀνθρώ-  
πων γοῆ-  
τι καὶ πο-  
νηρίᾳ, ὅς  
οὐδ' ἂν  
ἕκαστος  
δὲ οὐ-  
δὲ μὲν ἔπειτα

De septimo nihil opus est nouo scripto, cum quid de Adia phoris sentiam, ex libris meis notum sit. Hanc responsionem ad uestros Articulos ego quidem iudico aequam esse, & uos oro cum propter pietatem uestram, tum propter nostram amiciciam, ut non tam duriter mecum agatis, & uestra consilia potius, quam Flaciana sequamini. Possum dicere quod Aeschines dixit: Videtis enim quantum sit in illo astutiae & insidiarum. Ideo has actiones metuo. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet.

Die 22. Ianuarij, 1557.

Philippus manu propria.

Hoc

**H**oc loco consideranda D. Philippi incredibilis lenitas & facilitas, tum inter cetera argumenta huius, hoc etiam exitum, quod quas condiciones ab Illyrico se accipere posse paulo ante & oratione habita, & scripto misso negauerat, ex iisdem ferme, legatis ferentibus & interpretibus agi secum passus fuerit, ne de studio concordiae ullam dubitationem cuiquam relinqueret, & se nullis affectibus in hac causa indulgere probaret.

Hoc scriptum cum Legatis indicata die esset redditum, excurrit D. Morlinus cum Westphalo ad Illyricum Cosobicium, ubi eum substituisse narrauimus. Nam hi duo siue fortuito, siue quod legati ita inter se operas distributas haberent, Excursores soli fuerunt. Quodq; D. Praeceptor in hac responsione secunda diserte & nominatim proferri uellet, ubi & quomodo doctrinam de Iustificatione corrupisset, Indicauit per Legatos Illyricus de duabus corruptelis, quod omisisset in quibusdam scriptis de doctrina huius, uocabulum SOLA, & usurpasset alicubi uocabulum VERNEMLICH, id est Praecipue. Alias aut plures tum non habuit, quas indicare eum non pueret (si tamen aliquid pudoris apud hunc est reliquum) & si habuisset, facere neq; potuisset neq; ullo modo debuisset, quin indicaret. De quibus cum D. Morlinus & D. Eitzenensis ad Dn. Praeceptorem Illyrici uerbis referrent, respondit Philippus his duobus qui soli retulerant, tali scripto.

F.

**REVERENDIS VIRIS ERUDITIONE**  
& uirtute praestantibus, Domino Doctori Ioachimo Morlino, & Domino Doctori Paulo ab Eitzen, carissimis fratribus suis. S.

**R**euerendi uiri & charissimi fratres. Scio me nusquam scripsisse: Non pugnandum esse de particula SOLA. Sed aliquando, cum toties uociferarentur aduersarij, uocabulum SOLA non poni in scripturis, semper dixi, Exclusionem in Paulo saepe repeti, &

M 2

hanc

hanc nos firmissime retinere. Ideo ego primus in Apologia usus sum uocabulo Exclusiua. De particula **SVNNEDEJD**, ualde tumultuatur, quæ nusquam sic posita est, sicuti ipse narrat. Sed contra Papiſtas dicentes, Dilectionem esse iusticiam, ex hypothesi hoc posui; Etiam si esset iusticia, præcedere fidem oporteret, & hæc præcipuum esset iusticiæ. Si locus fuerit inspectus, non offendet uos. Bene ualete.

Philippus Melanthon.

Sed quia Epistola Præceptoris de particula **SVNNEDEJD** usurpata locum ipsum inspicere uult, ualde cupiebamus eum hic ascriptum subiungere, ut quasi in rem præsentem lectores deducerentur. Itaque & multi nostrum in scriptis illo tempore editis quæsiuimus, sed reperiri mentio particulæ (Præcipue) tunc quidem nulla potuit. Itaque ipsum D. Præceptorem per familiares interrogari curauimus, qui respondit, se putare in eo scripto mentionem illam inesse, quod edidisset contra librum Augustanum cognomento **INTERIM**. Sed neque ibi tum inueniri potuit. Oramus igitur atque obtestamur Flacium & Flacianos, & cum hos, tum beneuolentes nobis & studiosos nobiscum optimarum artium & partium ubique locorum uniuersos, ut si uel in typis expresso uel priuato scripto D. Præceptoris nostri mentionem huius particulæ extare sciunt, eam proferant atque indicent, ut quale hoc Flacianum crimen sit cognosci possit. Quod ut a nostris speramus, ita Flacius & Flaciani nisi fecerint, cuius se turpitudinis ipsi condemnent, omnes intelligunt.

Atque ut hoc etiam addamus, quod ad calumniam de particula **SOLA** attinet, extat præclara disputatio Reuerendi D. Iohannis Pfeffingeri in Apologia contra calumnias Illyrici & Galli, quæ una cum narratione Principis Georgii Anhaltini de actionibus in nostris Ecclesijs de ritibus adiaphoris est edita, ad quam lectores in præsentia nos Scholastici remittimus. Quorum libellorum ut copia suppetat, noua editione deinceps curabitur.

Ex mentione quidem Flaciana de particula **SOLA** manifeste apparet id, quod in præcedentibus hanc narrationem  
Epistolis

Epistolis docetur, quibus fundamentis Flacianæ criminationes niantur, & de cuiusmodi scriptis promantur, nimirum non approbatis, falsis, fictis, deprauatis uel ab ipsis uel ab alijs, quodq; ueritatem illi homines inquirere non studeant. Nam si uera scripta habent, tanto maior est & sceleratior malicia horum, qui quæ recte, uere & simpliciter dicuntur, intelligere nolunt, sed ad lucem oculos claudunt, & iucundissimum & suauissimum, addemus etiam fructuosissimum ipsis: errorem eripi sibi non uolunt.

Mandetur autem hoc memoriæ, quod Illyricus nullas alias corruptelas tum protulerit, de quibus D. Philippum præceptorem nostrum accusaret, quam has duas, quæ si hoc modo uere refutatae sunt, quid habebit iam Flacius, cur amplius Ecclesias nostras oppugnet, præter ea, quæ, constituta nimirum sanitate doctrinæ, uere sunt adiaphora? Sed cum Doctrina sana est, an de adiaphoris certamina uel bella potius in Ecclesijs moueri debeant, in medio relinquimus, cum disputationem in præsentia non instituerimus: & extant multorum in nostris Ecclesijs editæ de hac re luculentæ disputationes. Vere autem refutatas illas calumnias argumentum hoc esse potest, quod Flacius ad ea quid D. Philippo opponeret, Legatis nihil mandare potuit, qui ad minimum loca ubi particulae illæ impiæ usurpatae aut omissæ essent demonstrare eis debuit, si sciuit aut habuit aliqua. Sed ueritatis luce confesternata conscientia, dissimulatis omnibus in receptis illos suos, de quibus cognoscetur, recurrit. Ad narrationem igitur reuertamur.

Post hoc responsum epistolæ proximæ rursus a Legatis excursoribus ad Illyricum excurritur. Cumq; iam & quos articulos & quomodo descriptos accipere uellet D. Philippus Præceptor noster declarasset responsione secunda, notata litera E, & crimen de corrupta doctrina iustificationis falsum esse docuisset responsione tertia epistolæ proximæ, quæ F notam habet: tentatur iam a Legatis Illyricus, quid apud se obtineri passurus esset, ut concordia reconciliaretur (Hoc enim certe agitur ab eo uel ijs qui ad Illyricum excurrerant, debuit) Sed Flacius quasi nihil prorsus a quoquam actum fuisset, neq; de ullis rebus edoctus cognouisset atq; audiuisset, ita perseverauit in sententia, uel obstinatum potius & improbam peruicaciam usurpauit, & supra expositos articulos, sicut Cuculus eandem cantilenam, repetit, atq; excursores cum illis prioribus articulis suis in urbem remisit. Quos tamen

M 3

quomodo

quomodo recoxerit atq; denuo conformarit, ut mutasse & concessisse aliquid, & noui quidam illi uiderentur, operæ precium est explicari, si qui forte non animaduertant.

Primum Articulum non mutauit, sed inseruit tantum Bibliorum & Symbolorum mentionem, fortassis ut cautius & plenius diceret. Nam de Augustana Confessione eum dubitasse non suspicabimur, cum ante in prioribus Articulis sine illa cautione eam proposuerit. Fieri etiam potuit, ut cum hæc insereret, ad generalem confessionem in exordio repetitæ Confessionis respiceret, de qua est in Epistola ad Illyricum supra exposita cum nota B, Qua tamen si hanc suam meliorem iudicauit, metuumus ne errarit. Sed hæc nihil ad rem.

In secundo addidit mentionem eorum quos D. Philippus addi uoluerat, Serueti, Thammeri, Antinomorum, Stenckfeldij, Osiandri. Et quod Philippum ita hunc articulum recipere uelle cognouerat, uidendum Flacio fuit, ne si se æquum præberet, concordia forte reconciliaret. Itaq; ut hic Articulus intolerabilis fieret, corrupit eum inserendo *ισοδυνα μὲν ἴσται*, id est, æquiualentem clausulæ de corruptelis, quam D. Præceptor ex tertio reiecerat, atq; ita in secundum transtulit, quod in tertio audiuerat non posse tolerari. Omissio igitur in tertij Articuli priore membro mentione corruptelarum in articulo Iustificationis, eius loco hic unam inseruit (non ualde acuta calliditate) in secundum, nam ad mentionem Interimistarum addidit hæc uerba (& omnium conciliationum ex Interim ortarum) quæ hoc præstant, quod ante corruptelarum mentio in Articuli tertij priore membro. Ut hoc modo nouam arcem accusationibus suis constitueret, ex qua illas quocunq; tempore reducere posset &c. Quamquam autem ANTINOMORVM nomine inserto, ita uerbo quidem errores horum reijcit, tamen in tertio Articulo explicationem D. Præceptoris, quod, & quomodo necessaria esset noua obedientia, admittere noluit. Qua re neruus dogmatis Antinomorum continetur, quæ omnia iam mox suo quæq; loco demonstrabuntur.

Tertium Articulum uoluerat D. Præceptor sic describi, ut supra docet secunda responsio cum nota E. Etsi noua obedientia eo ipso necessaria est, quia ordo diuinus & immotus est, ut creatura Deo obtemperet, & filius Dei non ideo missus & passus est, ut nos in peccato & morte maneamus, & confirmemur terentium hominum furores, & sit donatio Spiritus sancti, ut obedientia inchoetur, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum

rum:



rum : tamen hac phrasi non utamur : Bona opera sunt necessaria ad salutem. Hoc totum retexit, uel saltem nō admisit Illyricus, neq; exprimi uoluit, quod & quomodo sit necessaria noua obedientia.

Cumq; Articulus tertius Illyrici ita ut ante expositus fuit, & supra propositus in scripto cum nota D. duarum sit partium, Dicit enim primum de corruptelis doctrinae Iustificationis quibusdam quas non nominat, & postea secundo loco nominatim de corruptela, ut ip si pronunciant, necessitatis bonorū operū ad salutem: priorē partē D: Philip: prorsus reiecit, neq; se ullo modo illius corruptelę conuinci posse, & crimen hoc Illyrici falsum esse docuit, ut supra narratur in scripto F, & sequentibus: Alteram explicauit eo modo, quo iam retulimus ex scripto E. Illyricus igit, ut accipere uideretur & præstare quod Philippus uoluerat, tertium hunc Articulum ita effingit; ut mentionem corruptelarum aliarum in priore quidem parte huius Articuli omittat, sed tamen in præcedentem secundum Articulum hanc inserat, ut docuimus, Cumq; refutationi D. Præceptoris de corrupta doctrina iustificationis quod opponeret non haberet neq; proferret, loco prioris partis quædam ita in hoc tertio Articulo declamitat & proponit, ut suspensiones moueat quasi saltem insinceri de tanta re D. Philippus locutus, & obscuratum beneficium Christi doctrina huius fuerit. Alterius autem partis explicationem prorsus reiecit, neq; de Necessitate aliqua operum doceri uoluit. Non tamen satis ei fuit illa ita in secundum Articulum inseruisse, sed in hoc ipso tertio corruptelarum mentionem denuo expresse inculcauit, Neq; enim illam in hoc Articulo omisit, ut incogitantioribus uideri potuit, sed tantum transposuit, nam omissam in priore parte in secundam partē huius transtulit, addidit enim in fine post mentionem corruptelæ de necessitate operum ad salutem tollenda, has duas uoces, nimirum ut hæc tollatur CVM CONIUNCTIS. Quæ est ieiunæ peruicaciæ significatio, & hominis male dissimulantis prauitatem. Ita igitur pro una mentione corruptelarum uno in loco omissa duplicem restituit, unam in secundum Articulum noua insertionem ubi antea nulla fuerat, infarciendo, Alteram in secundam partem tertij Articuli, quæ antea in prima fuerat, transferendo. Atq; hoc modo secundum Articulum, qui ante prorsus accipiebatur, intolerabilem deprauationem noua fecit, De tertio autem hoc non eiecit, quod eiecisse uideri uoluit, & ueritate illum conuincente, eiecere debuit, sed, & in secundum Articulum inseruit, & de tertij priore parte in secundam huius transtulit, & in hac denuo repetiuit.

tiuit, Cum ut iterum atq; iterum moneamus edoctus esset, accusa-  
sationem de corrupta doctrina Iustificationis falsam esse. De  
necessitate autem operum in tertij Articuli descriptione ea quam  
D. Philippus proponi uoluit, ita res explicabatur, ut nihil ambiguum  
amplius esse posset, neq; corruptela ulla in hac parte appellari,  
quod totum tamen ille, ut diximus, non admisit. Hoc est concordiam  
quærendam. Sed quomodo potest facere aliter is, qui intelligit, pacem &  
consensionem sibi non profuturam? Itaq; hanc tum etiam cauere eum  
oportuit. Quæ an ita se habeant doceat noua conformatio tertij  
Articuli, quem Illyricus tum ita effinxit, ut fieret talis: Doctrina  
de Iustificatione, de salute, uidelicet quod sola fide in Christum  
gratis sine operibus legis iustificemur, & accipiamus salutem &  
uitam æternam, retineatur pura, propter has graues causas, nimirum  
ut tribuatur Deo suus honos, & non obscuretur beneficium mediatoris,  
& sit firma promissio, & certa consolatio conscientiarum. Ideoq;  
tollatur corruptela de necessitate operum ad salutem, cum coniunctis.  
Hoc igitur quod in hac recusione, præposita mentione doctrinæ  
iustificationis, sic dicitur, Tollatur corruptela de necessitate  
honorum operum cum coniunctis, hoc inquam quid est aliud, quam  
quod antea sic proposuerat: Ex Articulo de Iustificatione tollantur  
omnes corruptelæ etc. præcipue corruptela de bonis operibus. Quæ  
etiam si diuersa esse pronuntiaretur, sicut minime sunt, tamen  
Illyrico quoquo tempore idem ualere possent. Ita igitur tanquam  
surdus & cæcus, uel potius qui demonstrata & audita ueritate,  
obstinata tamen malicia nihil neq; cernere neq; audire uellet,  
tertium Articulum non tantum non correxit, sed eodem modo repetit,  
& nouo præmiolo aliquanto intolerabiliorem, quam antea fuerat,  
reddidit: nam illud præmiolum quarum rerum Præceptorum  
insimulet, in promptu est uidere. Sed conferantur a diligente  
lectore Articuli, & ea quæ notauimus una cum alijs pluribus  
deprehendantur, quodq; se in hoc Articulo recudendo ita torqueat,  
sicut anguis cum calcatur. Qui unus ingenij Flaciani eximium  
argumentum esse potest.

In quarto articulo addidit explanationem, a quibus confessionibus  
Saxonice Ecclesiæ recedere non possent, nimirum ab editis contra  
Papatum, Interim, & Adiaphora. Quæ si nostrorum actiones &  
sententias de adiaphoris condēnarunt, an id iure fecerint, tum  
constitui

stitui poterit, ubi quid actum & decretum à nostris omnibus temporibus & locis fuerit, publico scripto docebitur, & orbe terrarum disceptante causa ab his dicetur: Et si cognoscere tum Illyricus ex legatis excursoribus D. Morlino & VVestphalo potuit, quid esset à Philippo & nostris actum, qui Legatis uniuersis oratione dilata omnia exposuerat, ut supra est narratum, Illos enim duos excursores non optima fide hoc præstitisse, suspicari de talibus uiris neque possumus neque debemus. Quanquam quid opus est de illis indicationibus mentionem facere, cum ipsi Flacio de hac re D. Præceptor dilerte scripserit ea Epistola quæ supra exposita est cum nota B. neque minus de illis actionibus ibi narretur, quam in oratione ad Legatos habita: Doctrina autem de Adiaphoris D. Præceptoris & Ecclesiarum nostrarum ante oculos est. Item de libro Interim censuræ duæ, quarum altera nomine Præceptoris primo, altera Theologorum nomine congregatorum in urbe Mysena edita est, dilerte & explicate de omnibus eius libri corruptelis, & contra Pontificiorum corruptelas quid docuerint & doceant, similiter extat. Ex his igitur pronuncietur. Cum hæc quidem appendix Illyrici minime obscuram insimulationem habeat.

In quinto quod supra fuit his uerbis: nisi prius conuenerit de doctrina, aliquanto explicatius ut esset, sic descripsit: nisi prius conuenerit de uera doctrina. Ut in hoc articulo nihil mutatum ab eo existimemus.

In sexto addidit hæc uerba: Siue in Doctrina, siue in Adiaphoris: ut cum hos tres articulos, quanquam his admodum grauaretur, se tamen recepturum Præceptor scripsisset, appendicibus illis nouis in quarto & sexto magis eum premeret, & criminationibus suis integrum & saluum receptum seruaret, quas quocumque tempore & quacumque occasione posset resumere. Sed & de doctrina iam fuerat edoctus (debit quidem certe) ab excursoribus, saluam hanc & integram præstitam, neque conuinci ullius corruptelæ Philippus tum ab ipso potuit, cum nihil præterquam duas particulas in doctrina accusaret, quarum unam impie omissam, alteram impie usurpatam criminaretur, quod utrumque quomodo fuerit refutatum, supra est expositum. Quibus quod Illyricus opponeret tum nihil prorsus habuit, neque deinceps unquam reperiet. De Adiaphoris autem, doctrina ueritatis salua & incolumi, quæ potest esse in Ecclesia religiosa controtuersa?

In septimo articulo nihil mutata sententia, ut putamus, pro nostrarum

N

nostrarum

nostrarum Ecclesiarum scripserat Saxonicarum, Sed de Adiapho-  
ris iam responsum acceperat, & quod D. Præceptor nunquam de  
adiaphoris aliter docuerit quam in editis scriptis huius est, ad hæc  
illum remisit. De necessitate autem operum ad salutem iam su-  
am sententiam ita diserte legatis explicauerat, ut postulari nouam  
contestationem nihil attineret. Quæ sententia si uera Flacio uisa  
fuit, uidentur ei ut ipsius & aliarum Ecclesiarum doctrina cum  
hac congruat. Nam a uero quod recedit falsum est. Sin falsam ius-  
dicauit, explicare tum expresso testimonio iudicium de ea suum  
debit, uel potius nisi proditor ueritatis esse uellet, omittere non  
potuit. Neq; Ecclesiarum coniunctio ueritatem, sed ueritas Eccle-  
siarum coniunctionem efficit, & in ueritatis doctrina ueræ Eccle-  
siae necessario consentiunt, quod ueritas unum sit & simplex, sicut  
centrum in circulo. Vt de tali consensu pacisci aut condiciones ferri  
nihil sit opus.

Ex his igitur, quæ & nos obiter notauimus & ingeniosiores  
alij obseruabunt plura, manifestum fit Illyricum recusione articu-  
lorum in sententia horum nihil prorsus mutasse, sed quasi concor-  
diam metueret insertionibus nouis aliquanto deteriores & intole-  
rabiliores effecisse, ut repetitio prorsus & exacerbata quidem supe-  
riorum articulorum illa repetitio fuerit, tantum abest ut quicquam  
concesserit. Et refutata & demonstrata, cum quod contradiceret  
non haberet, tamen quasi nihil cognouisset neq; audiuisset, uel  
potius qui se doceri nollet, denuo oppugnauit, & sicut canis ad  
uomitum redit, quem denuo euomeret. Sed ut omnia plane cogno-  
scantur, & quas ille post omnes tractationes, ultimas conditi-  
ones Philippo tulerit, Articulos ita ut illos recoxerat subiijci curau-  
mus, nihil quicquam uspiam interfantes.

G.

## ARTICVLL

I.

**Consensus constituatur in doctrina iuxta Biblia,  
Symbola, Augustanam confessionem, Apologiam &  
Smalcaldicos articulos.**

II.

**Reijciantur omnes contrarij errores, Papistarum,  
Interis**

Interimistarum, & omnium conciliationum ex Interim  
ortarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Serues  
ticorum, Antinomorum, Stenckfeldianorum & Thams  
meri.

III.

Doctrina de Iustificatione, de salute uidelicet,  
quod Sola fide in Christum gratis sine operibus Legis  
iustificamur, & accipimus salutem & uitam æternam,  
retineatur pura, propter has graues causas, nimirum ut  
tribuatur Deo suus honos, & non obscuretur beneficia  
um mediatoris, & sit firma promissio, & certa consolatio  
conscientiarum. Ideoque tollatur corruptela de necessitate  
operum ad salutem, cum coniunctis.

III.

Ecclesiæ Saxonice non possunt discedere à Confessionibus,  
quas ediderunt tempore proximæ persecutionis, contra Papatum,  
Interim & Adiaphora.

V.

Ne fiat conciliatio cum Papistis de ceremoniis,  
nisi prius conuenerit de uera doctrina, & ipsi desierint  
esse persecutores ueræ doctrinæ.

VI.

Tempore persecutionis edatur ingenua confessio,  
& non admittatur seruitus pugnans cum libertate  
Christiana, siue in doctrina, siue in Adiaphoris.

VII.

Petimus quoque amanter à Reuerendo Domino  
Præceptore, ut publico quodam scripto contestari uelit,  
suam sententiam de rebus adiaphoricis & necessitate  
operum ad salutem cum Saxonicarum Ecclesiarum  
confessione coniunctam esse.

N ij

Si altera

VIII.  
Si altera pars existimatur occultare aliquos errores, requiratur declaratio.

**E**X his cum, ut lenissime dicamus, peruersitas & peruicacia Flacii manifestissime perspiceretur, quid de Flacianis actionibus Legati senserint ipsi dicere possunt. Hos quidem articulos, & per se, & post tales tractationes, absurdissimos & turpissimos, Legati ipsi ut D. Præceptorum offerrent, facere non potuerunt. Sed D. Paulo Ebero hoc negotij dederunt, quod ipsorum nomine exequeretur, neque responsum se postulare ad hos ullam significarunt, sed ut in re desperata, ad discessionem se pararent, cum his quidem actionibus consumpti iam essent dies sex.

Hos igitur articulos cum Ebero offerente accepisset D. Præceptor 27. Ianuarij, etsi nullum responsum ut diximus postulabatur, discessuris tamen Legatis pro incredibili lenitate & patientia sua, quæ Flacium cum suis male docet hactenus, ad illos quin responderet facere non potuit. Venit nobis hoc loco in mentem, quod sæpe D. Præceptorem narrantem audiuius. In conuentu Ratisponensi cum Aduersarij plerumque pertinaciter urgerent, & eadem sæpe repetendo inculcarent, & rem odiose ducerent, Dn. Iacobus Sturmius, V. Cl. D. Philippo Melanthoni dicere solitus fuit. Isti norunt ingenium tuum, neque bonitate causæ superiores esse, aut disputando se uincere posse sciunt, sed moleste urgendo & instando te obtundere, & ducendo negotio defatigare atque frangere uolunt, atque importunitate uel improbitate potius sua extundere aliquid a te inuito conantur. Idem ferme tunc Flacius egit, qui aut infamari D. Præceptorem aut bellum uellet, uel utrunque potius simul. Cum enim D. Philippum ingenio esse rixarum impatientissimo minime ignoraret, tentandum putauit, an improbe urgendo maculam saltem aliquam ei inurere posset, cum de rei compositione minime laboraret, ut infra explicabitur. In quo ille quantum perfecit sequens narratio declarat. Respondit enim Legatis eadem die tali scripto.

RESPON-

## RESPONSIO TERTIA ET VLTIMA

D. Philippi Melanthonis ad articulos primo propo-  
sitos, & postea, noua in aliquibus confor-  
matione, repetitos & iterum ab  
Illyrico propositos.

H.

**R** Euerendi uiri: Et honestissimis ciuitatibus uestris,  
& uobis gratiam habeo de instituta reconciliatio-  
ne, ac spero uos intellexisse, mihi non deesse studis-  
sum pacis. Volo Deo iuuante in his Ecclesijs in com-  
muni confessione perseuerare, & non seram dissidia,  
uosq; tanquam pios Pastores Ecclesiarum semper ue-  
neratus sum, & uere diligo. Existimo etiam genus do-  
ctrinae, quod sono, simplex & perspicuum, prodesse ius-  
uentuti ad res necessarias intelligendas, & ad retinen-  
dam concordiam. Ac de toto corpore doctrinae meae  
uolo ex meis scriptis & ex confessione, quae extat, iudi-  
cari, non ex mutilatis recitationibus, quae sparguntur, &  
calumniose corrumpuntur. Scitis autem, fuisse magnam  
opinionum confusionem his triginta annis, in qua diffi-  
cile fuit non alicubi labi. Et mihi peculiariter infesti fue-  
runt & sunt multi hypocritae. Pertractus sum etiam ad  
aularum deliberationes insidiosas. Quare sicubi uel lap-  
sus sum, uel languidius aliquid egi, peto à Deo ueniam,  
& iudicijs Ecclesiae obtēperabo. Nec aliud in uita magis  
opto, quàm ut aliquando de toto corpore doctrinae pijs  
& docti uiri placide, sine sophistica, & sine priuatis ad-  
fectibus colloquantur, & relinquunt posteritati expli-  
citas sententias sine ambiguitate. Non enim ignoratis,  
de quibus controuersijs desideretur explicatio multo-  
rum gemitibus, nec ignoratis, quae causae impediunt can-  
didam.

N. iij.

didam.

didam sententiarum collationem. Quod autem iam tantum mecum agitis de rixis Flacianis, quibus multas alienas causas miscuit Flacius, scitis ipsi illa negocia ad multos pertinere, nec me sine offensione aliorum aliquid statuere posse. Si hoc agitur, ut ego opprimar, commendo me Deo & iudicijs piorum. Ac Dei beneficio paratum animum ad hos casus habeo, & exempla intueor multorum, qui in dissensionibus civilibus iniuste oppressi sunt. Ne tamen uidear aut lucem fugere, aut non expetere concordiam, respondi iterum de articulis, quos proposuistis, ut est in pagella quam addidi. Nec tamen de aliorum iudicijs aut uoluntatibus quidquam uolo polliceri. Et hanc uolo meam postremam responsionem esse, quæ si non satisfaciet uobis, prouoco ad iudicium Ecclesiæ, in quo uos ipsos quoque iudices esse patiar. Filius Dei gubernet nos omnes, & faciat, ut unum simus in ipso, Ianuarij die 27. Anno 1557.

Philippus Melanthon manu propria subscripsit.

## DE ARTICVLIS EXHIBITIS

die uicesimo septimo Ianuarij.

**E**tsi multa ita ponuntur in propositionibus, ut nos prægrauent, & uideo interpretationes insuaues futuras esse, ut est huius seculi Sophistica, & aliena est mea natura ab illis Ironicis & figuratis sugillationibus: tamen pacis causa plagam aliquam accipere non recusabo. In fine tertiæ propositionis additur: cum coniunctis. Hæc generalitas est odiosa, & attexet quisque quod uolet. Malim explicite poni propositionem de bonis operibus. Vtrunque exprimatur, Quomodo sit necessaria no

ua



ua obedientia, & Quod phrasis: Bona opera sunt neces-  
saria ad salutem, reijciatur. Non uolo partem priorem  
occultari, quæ est neruus Antinomorum. Miror cur di-  
catis. Sine operibus LEGIS. Malim simpliciter dici:  
Sine operibus. Quia Iulius & Sidonius concedunt hanc  
propositionem: Sine operibus legis iustificamur, & in-  
telligunt opera ante gratiam.

De septimo articulo antea respondi, ex meis scriptis  
quid sentiã de adiaphoris notum esse. Nec uolo de adia-  
phoris aliquam nouam disputationẽ mouere, aut dam-  
nare nostros, quorum aliqui mortui sunt, qui retineri  
eos ritus, quos Lutherus retinuit, maluerunt, q̃ pelli pi-  
os Paiores & miseras familias, & fieri uastitatem in Ec-  
clesijs. Nequaq̃ uolo meo aliquo præiudicio uiros ho-  
nestissimos, qui in illis deliberationibus fuerunt grauari.  
Hanc igitur partem vij. articuli nequaq̃ recipio. De al-  
tera parte, uidelicet de Bonis operibus, scribam quod  
iam dixi. Ac miror occultationes, cur explicate nolitis  
dici de priore parte, cur necessaria sit noua obedientia,  
cum certe in Ecclesia hoc necesse sit tradi, Necessariã esse  
nouam obedientiam, quia ordo diuinus & immotus sit,  
ut creatura Deo obtemperet, ut Paulus inquit: Debitos  
res sumus. Et cum filius Dei ideo uenerit, ut tollat pec-  
catum & mortem. Et cum S. sanctus ideo donetur, ut  
hic inchoetur, & postea sit consummata, obedientia.  
Scio uos esse uiros honestos, & non amare Sophisticen,  
Quare spero uos quoq̃ pertæsos esse Sophisticarũ præ-  
stigiariũ. Ego nunc plura non respondebo. Sed si Flacius  
hæc certamina renouabit, spero Deo iuuante me hones-  
te responsurum esse. Bene ualete. 27. Ianuarij. 1557.

Philippus Melanthon  
manu propria.

**I**N præmissa responsioni ad articulos Epistola Flaciani quædam excerpunt, quæ calumniose interpretantes Præceptorem acerbissime notent. Si tamen tota Epistola consideretur, nihil est quod grauare eum ullo modo possit.

Sed in hac altera ad articulos responsione respondet tantum ad tertium & septimum. Ad secundum nihil respondet, ubi insertum membrum de omnibus conciliationibus, ex Interim ortis, quod quale sit, supra est ostensum: Item in quarto & sexto appendices nouas, & quintum totum, sicut & supra fecit, negligit. Ex his omnibus quod interpretationes fingi in promptu esset, & suspiciones commoueri, quibus multi optimi & sanctissimi uiri, & nostræ Ecclesiæ uniuersæ, ad horribilem & prorsus intolerandum modum grauarentur, quasi conciliationes cum Pontificis impiæ tentatæ sint deprauationibus & obsurationibus doctrinæ ueritatis, neq; confessio huius præstita, neq; pontificiæ corruptelæ fideliter indicatæ, neq; de adiaphoris recta doctrina usurpata, & cum aduersariis suscepta ea fuerint, quæ Christiana religio non permittat, Atq; ut semel dicatur, contra ueritatem, religionem, conscientiam & officium in illorum temporum deliberationibus, egisse nostros uel pleraq; uel omnia. Hæc inquam & his similia quod calumniatores inquieti quocunq; tempore, cum optima specie ex his exprömere possent, & Domini præceptoris incredibili lenitate & concessione tali his malis hoc modo occasio præberetur, neq; plagam ille tantam sciens & uolens concordie causa, cum esset ab omni culpa tali remotissimus, defugere uideretur: Ideo & Acadamia & reuerendus dominus Pastor sanctæ & piæ memoriæ Doctor Pomeranus, & collegium ministrorum Ecclesiæ Vitebergensis communiter per M. Paulum Eberum in præsentia D. Melanthonis apud legatos protestati sunt, Quæ D. Philippus Melanthon lenitate & facilitate sua in conditionibus a Flacio latis inexplorata concessisset, & quarum rerum de talibus conditionibus Flaccianis, & de D. Philippi Melanthonis responsionibus atq; cessionibus insimulationes atq; criminationes omni tempore deduci possent, ea Ecclesiam & Acadamiam Vitebergensem neq; agnoscere neq; recipere, neq; ut nostræ & Theologorum collegia nostra tã hoc modo grauarentur, aut præiudicium hoc de ijs haberetur, ijsue noceret, quantum in ipsis esset Ecclesiam & Acadamiam permittere. Idq; Ecclesiam & Acadamiam Vitebergensem eo modo quo fieri deberet & rectum esset testatum uelle, etc.

His

His ita gestis cum salutassent Legati Præceptorem, & hic illos perhumaniter, actis submisit gratias tam ipsis quam ciuitatibus horum, a se dimisisset, egressi urbe sunt die XXVIII. Ianuarij, cum fuissent in hac iam dies ferme IX. commorati, & dies VI. tractationibus illis suis consumpsissent.

Ex his iam uniuersis statuatur, & illæ actiones quales fuerint, & hoc etiam, An inhumanitatis iure accusetur D. Philippus a Flacio, & quod culpa Præceptoris dissidia in Ecclesia durent. Considerentur postulata Illyrici, qui has tantum condiciones fert, ut recipiat in se D. Philippus omnes criminationes, & culpam agnoscat atq; deprecetur (etsi hoc uno excepto quid præterea possit Flacius aliud postulare aut agere quo se non condemnet ipse, neq; nos uidemus, neq; ut opinor quisquam alius) Ad quæ tamen postulata quid fecerit Melanthon, qua patientia tulerit superbum hostem, condiciones ferentem iniquissimas, quantum cesserit & concesserit cum manifesto & detrimento & periculo existimationis suæ, acta docent. Flacius autem ne latum quidem digitum uel unius potius pili intercapedine, ut cederet, ob ineri a se passus fuit, ut demonstrauius. Cum quo animo si ad illas actiones uenit, quod potuit fuisse in ipso concordie studium? Cum qui uere pacem expetunt, cedere, & concedere de suo iure soleant, ut Præceptor noster de se luculente probauit. Cuius exemplum secutus si fuisset, iam tum res tota composita fuisset: Etsi cedere eum neq; necesse neq; postulatum fuit, sed abire tantum eas accusationes oportuit, quas falsas esse fuit edoctus, uel conuictus potius, quod quomodo non essent tales, ipse quod diceret non haberet. Atq; Illyricus an unquam uere pacem quæsiuerit, ex his actionibus nisi fallor constitui potest. Etsi absq; hoc, quomodo est uerisimile pacem quærere, quem eæ res alunt & sustentant, & dignitatem & emolumenta conciliant, quæ paci sunt inimicissimæ? Sed consilia huius mox aliquanto explicatius demonstrabimus. De Præceptoris autem humanitate & lenitate atq; patientia, quam in his actionibus præstitit, si quis declamare uellet, eum neq; res neq; uerba deficerent. Sed cum acta hoc doceant, nihil est præconijs opus.

Legati autem ita humaniter a D. Philippo & accepti & habitati sunt, ut hoc nomine ei non semel gratias egerint, & extat supra horum scriptum testimonium ad notam D. Neq; in tota urbe quisquam eis, de quo nos comperimus, molestus fuit, Sed honorificentissime potius habitati ab omnibus. De quo similiter ad ipsorum

O

rum testi

rum testimonia prouocamus. Hoc tamen negari non potest, quod scriptum ut aiunt friuolum & ineptum rythmorum latinorum in diuersorium VVestphali coniectum dicitur. De cuius auctore cum grauius & seuerius inquireretur, inueniri tamen non potuit, & qui insimulati fuere, ita se purgarunt, ut satisfaceret bonis omnibus. Et hac tamen re Illyricus uiolatum ius gentium esse declamitare dicitur. Sed cum actiones Flacianæ illæ eiusmodi sint, ut credibile sit, bonos uiros hanc de his narrationem nostram non sine aliqua commotione animi lecturos esse, quomodo putandum nos affectos fuisse, qui coram de his quotidie audiremus? Itaque non hoc esse mirum debet, fuisse unum qui iustissimam indignationem suam reprimere non potuerit, sed hoc potius mirandum, abstinuisse à descriptionibus talibus eos, qui aliquanto melius indignitatem rei demonstrare potuissent, & tam in hac parte quam in alijs omnibus reliquos uniuersos moderari sibi potuisse. Hæc nisi fallimur prædicari potius moderatio uniuersorum debuit, quam exagitari unius impotentia, quæ neque auctori ipsi gloriosissima, & cogitantioribus omnibus contraria fuit. Præterea Reuerendo Domino Pastore nostro D. Pomerano inuitatus amanter & humaniter D. Morlinus ut concionem Pastoris locodie Dominica habere uellet, quod & facturum se recepit, quia tamen excursionem ad Illyricum impedire se passus fuit, ex Diaconis nostris subito uni pridianæ diei uespere concio est denunciata, qui quod tum uehementius dixisse ab Illyrico scribatur, quam ius gentium permittat, ideo illam concionem is qui habuit primo tempore in lucem est emissurus, ut constitui possit, an de hoc etiam recte queratur Illyricus. Qui cum contra ueritatem & iura Diuina atque humana aduersus omnes agat omnia, si qua defensio suscipitur, eam contrariam iuri gentium uult haberi. De quibus non est declamandum in præsentia. Legatorum quidem nulla prorsus mentio in tota concione facta est, & quicquid de hac Illyricus scribat, Legatos quidem præsentibus adeo non offendit ea concio, ut ex his unus ætate & grauitate præstans porrecta dextra ei, qui eam habuit, statim pro opera illa publice in templo gratias ageret. Sed cuiusmodi sit, tum cognoscetur, ubi edita fuerit.

Hæc in præsentia de his actionibus edenda putauimus, quæ si à Flacio aut Flacianis inuadentur, emittemus narrationem aliquanto pleniorum, si quidem audacia & impudentia ullorum nos hoc facere coegerit. His igitur ad finem perductis, nunc deinceps de Megalopyrgensibus narratiunculam subiiciemus.

# SEQVITVR

## NARRATIO DE LEGA- tione Megalopyrgense.

**C**VM Flacius Illyricus in actionibus legatorum Saxoniorum eum se gessisset, qui postquam mendacia ipsius refutata, & ueritas demonstrata ei ita esset, ut contra quod diceret non haberet, atq; insuper a D. Præceptore concordia causa in conditionibus latis multa acciperentur, quibus multipliciter & grauaretur & circumscriberetur: Non tamen his omnibus rebus adduci se pateretur, ut a falsis accusationibus desisteret, sed post longas tractationes, unas & easdem condiciones denuo ferret, ut manifeste se ab ijs accusationibus & insimulationibus, quarum falsitatem edoctus cognouerat, recedere non uelle ostenderet, suppressis quidem & dissimulatis causis, neq; enim de refutationibus indicatis quicquam quod ei non satisfaceret, protulit. Et præterea explanationes disertas doctrinae ueritatis de necessitate nouae obedientiae repudiaret. Hæc inquam cum ita fecisset Flacius, quemadmodum narratio nostra docuit, uidendum ei fuit, ne si illa ita ut gesta fuerant ad uulgus emanarent, abalienarentur ab ipso animi multorum quos longo tempore multipliciter deceptos sibi adiunxisset, neue ullo modo crederetur non serio a se hoc actum fuisse ut res componetur. Ex indicata autem peruicacia illius atq; tergiuersatione, & actionibus in summa uniuersis intelligi plane, uel manibus potius, ut dicitur, comprehendere potuit hoc, quod nunc subiiciemus, quodq; antequam omnia de Saxonis actionibus narrata essent, considerandum proponere non uoluimus, ne quid maliciose fingere uideremur. Ex his igitur omnibus intelligi hoc potuit, illam de componenda re actionem tam magnificam & speciosam nulla alia de causa a Flacio susceptam, quam ut iactitare ad uulgus posset, se pacem & concordiam quaesiuisse, & impetrare nostrorum culpa non potuisse: Et hoc modo ad euertendos nostros ultimam machinam conficeret. Neq; enim satis esse uidit illas decem annorum criminationes in his adhærescere, sed hac ultima, ut diximus, machina ad eersionem horum opus sibi esse, ut obstinatam & insanabilem esse eorum quos oppugnaret profanitatem & turpitudinem

O ij

dinem cum aliqua specie & certis de occasionibus docere posset :  
Hoc uero alio modo non perfici, quam si de componendo negotio  
tractationes susciperet, quæ ita ab ipso gubernarentur, ut re infecta  
huius postremi criminis & ultimi conatus prætextum aliquem sibi  
compararet. Itaq; cum primum per iudices familiares, condemna-  
tiones nostrorum quæsiuisset, neq; res procederet, ante annos nisi  
fallimur V. pacificationis conatibus ludere cœpit, & tum chartam  
cum conditionibus ferme talibus, quales illæ fuere, de quibus nar-  
ratum hætenus est, uel aliquanto etiam atrocioribus, huc misit,  
quas D. Præceptor & Theologorum collegium subscriptionibus  
suis acciperent, eaq; in re priuatorum hominum opera & emissario  
uno, non ualde pio aut graui equite, usus est. Quod cum & ip-  
sum non procederet, tandem post illas publicas & priuatas scriptio-  
nes de concordia & constituendæ huius rationibus actiones illas  
Saxonicas conciliauit, de quibus iam narrauimus, quarum exitus  
is fuit quem Illyricus unum uoluit & optauit, qui non concordiam  
sed falsam gloriationem de conatibus reconciliandæ huius quære-  
ret, quos nostri impediuisent, ut diximus. Qua parta & ad uulgus  
iactata, tum demum excommunicationum fulmina, quæ hætes-  
nus surda & fatua quædam fuissent, efficienter iaci posse, & supe-  
ros atq; inferos ut coniurent se perfecturum non dubitauit contra  
eos qui præter multa alia in Ecclesiam Christi peccata, prodita ue-  
ritate corruptelas sanæ doctrinæ in hanc admisissent, atq; insuper a  
quibus priuatim & publice admoniti & reprehensi fuissent, cum ijs  
nullam pacem fieri aut concordiam reconciliari sinerent, neq; ullis  
tractationibus ad sanitatē reduci possent. De quibus molitionibus  
ipsius plura in præsentia non dicemus, cum cogitantioribus minime  
illæ obscuræ esse possint. His igitur de causis impudentissimus  
& uanissimus homo Illyricus de illis actionibus legatorū rumores  
sparsit, conatus pulcherrimos & honestissimos suos in concordia  
concilianda nostri præceptoris & nostrorum hominum culpa irri-  
tos factos : Quibus rumoribus animus uulgi occuparetur & come-  
pleretur, ne quid deinceps uerarum narrationum admitteret. Hos  
autem tantum priuatis scriptis & narrationibus ante hoc tempus  
dissipauit, Nunc autem edito libro & typis Erfordiæ ut audimus  
expresso, publice D. Præceptorem nostrum accusat, cuius unius  
inhumanitate & morositate nulla concordia & per Saxonicarum  
ciuitatum, & per legatos Ducis Megalopyrgensis reconciliari po-  
tuerit. Qua criminatione Flaciana cum extrema iam nostris parens-  
tur,

tur, ut docuimus; hæc inuētabilis necessitas ab ipso Flacio allata nobis est, ut in sollicitudine debita de Præceptore nostro & collegis huius uniuersis, præceptoribus nostris & ipsis, hanc de illis actionibus uniuersis narrationem ediderimus (de quo & supra aliquid prænarrauimus) & ut hæc etiam Megalopyrgensia prioribus adijceremus coacti fuimus. Etsi autem iam absq; hac opera editionis nostræ, in omnium manibus illæ Epistolæ de Saxonis & Megalopyrgensibus actionibus uersantur, tamen qui illas sic nudas legunt, nec actionum occasionem & seriem norunt, minus ijs affici necesse est: multi etiam qui simpliciores sunt, insidiosa & captiosa consilia Illyrici nisi explicentur non intelligunt, ideo & hoc loco & in præcedente narratione hoc fecimus, ut explicationes nostras illorum aspergeremus, quæ an callidæ aut maliciosæ sint, omnes qui legunt considerent & iudicent. Atq; ita iam ad Megalopyrgensia accedamus.

Cum igitur iam Flacius illis rumoribus sparsis, & alia multa loca Germaniæ, & totam Saxoniam per complices & emissarios suos incredibili celeritate compleuisset, ut infra de temporum indicatione æstimari potest, neq; bonorum uirorum narrationes ueræ in clamoribus Flacianorum exaudiri possent, factum fuit ut etiam ad Illustrissimum Principem ac Dominum Iohannem Albertum Ducem Megalopyrgensem, quem amplitudinis & honoris causa nominamus, rumores illi Flaciani peruenirent. Itaq; quod ad hunc Principem iam ante (sicut narrari audiuimus) D. Præceptor ita scripserat, ut ipsius cognitioni & arbitrio illas controuersias subiicere soleret: Ideo Princeps ille, ut Ecclesiæ & Reipub. operam nauaret, tentandum sibi putauit, an suis conatibus aliquid profici, & res componi posset. Paulo igitur post, nondum elapsis à digressionem ex oppido VVitebergensi Legatorum Saxoniorum diebus quatuordecim, ipse suos Legatos literis & mandatis Suerini instruit, qui VVitebergam uenerunt Mensis Februarij die 19. Aberat eo tempore peregre D. Philippus, ut Legatis aduentus illius expectandus fuerit ad dies quinque, Nam 24. die mane reuersus est, qua eadem Legatos audiuit. Hi & literas attulerunt à Principe pererudite scriptas, & librum quendam quo conditiones rei componendæ de quorundam Ducis Megalopolensis Theologorum sententia proponebantur, in quo conficiendo præcipuam operam dedisse rumor est quendam, qui aliquando condiscipulus hic noster, affectionem & beneficia D.

O iij

Præceptor

Præceptoris erga se expertus est plus quam paterna, & omnia quæ habet doctrinæ & aliarum rerum ornamenta & testimonia, in nostra Academia consecutus est. Quem & formulas Præceptoris suo quibus in docendo uti deberet, præscribere non puduit, dissimulatis imo penè reiectis scriptis Præceptoris, quæ de tota Doctrina extant tot & tam explicata. Sed πολλοὶ μαθηταὶ κρείττορες διδασκάλωρ. Cuius etiam Apophtegma non ualde humanum, celebratur omnium sermonibus: Opprimendum Præceptorem esse, ne quorundam conatus impediret. De quo supra Epistola queritur, qua A. notam habet. Sed qualis liber fuerit, & quas condiciones tulerit, ex responsione D. Philippi aliquo modo: durissimas quidem certe fuisse, intelligi potest, & ceperat D. Præceptor in margine illius libri de sententia & iudicio suo quædam annotare, quæ tolerari possent, quæ non possent. Qui statim altera die, quæ erat 25. Februarij, Legatis respondit hoc scripto, quod in omnium manibus iam longo tempore uersatur.

RESPONSIO LEGATIS MEGALOPOLENSIBUS scripta à D. Philippo Melanthe.

Primum reuerenter ago gratias Illustrissimo Principi ac Domino, Iohanni Alberto Duci Megapolensi, quod & publicæ concordia & meæ tranquillitatis cura afficitur. Cognosci autem potest et ex meo silentio, & ex responsionibus, quas dedi Pastoribus Ecclesiarum Saxonicarum huc missis, mihi non deesse studium pacis. Nec credendum est, me in hac senectâ bella appetere, in qua me non procul à morte abesse uideo. Nec adeo ferreus sum, ut horribiles confusiones generis humani sine magno dolore intuear. In his tantis malis ausgeri dilacerationes sciens non uelim. Certe, ubi potui, nostros ad coniunctionem tuendam hortatus sum, & fuerunt in eo genere officia mea mediocria. Ut autem nunc respondeam de forma concordia oblata à Legatis Illustrissimi Principis, pauca præfari me necesse est.

Aliter



Aliter in bellis recipiuntur ij, qui hostilem animum habuerunt & dimicauerunt: aliter qui etiam si sunt apud hostes, tamen nec animum habuerunt hostilem, nec praeliati sunt. Ego autem nunquam harum Ecclesiarum, in quibus uiuo, hostis fui. Studia uerae doctrinae etiam meo loco, quantum Deus concessit, adiuui, & totum genus doctrinae saepe repetui, ac de mea sententia ex scriptis meis iudicari uolui. Et me esse ciuem Megalopyrgensis Ecclesiae ostendit liber qui extat, in quo forma doctrinae Megalopyrgensis Ecclesiae comprehensa est. Tunc etiam, cum illa Sphynx Augustana, quae nominatur Interim prolata est, nequaquam doctrinam quam antea professus sum, mutauit. Lacrymans etiam suasi, ne qua mutatio fieret. Et de multis necessarijs materijs refutauit quosdam ingenijs praestantes & astutos homines, qui Sphynxis illius aenigmata tuebantur. De ritibus quibusdam non pugnauit, qui magna ex parte adhuc usitati erant in nostris Ecclesijs, uicq; in his abijciendis minus uehemens, ne pellerentur ex Ecclesijs Pastores. Et ut prudentes intelligerent res necessarias esse, quas retinere cupiebam. Nec de his ipsis ritibus postea rixatus sum, cum Flacius mihi contradiceret.

Talis cum fuerim, nunc mihi condiciones feruntur, ut proditori & hosti harum Ecclesiarum. In titulo de Adia phoris forma concordiae intexit quasdam narrationes, in quibus petitur a me confessio proditionis & magnorum scelerum. Dicit, in gratiam persecutorum Euangelij receptas esse quasdam superstitiones. Dicit, abnegationem ueritatis esse, etiam si qua uere Adia phora recipiantur. Petit & condemnationem aliorum,  
etiam

etiam mortuorum. Has duras condiciones, si hostis fuiss-  
sem, imponi mihi non mirarer. Fuit mitior actio Saxo-  
nicorū Pastorum. Etiam si quid à me languidius actum  
est, certe hostis nunquam fui. Ac miror tam duras con-  
ditiones imponi, cum diserte ἐπιεικεία & Principis ex-  
cellentis sapientiam explorauerim. Clare igitur profes-  
sor, me non adsentiri narrationibus illis, quæ arte intexte  
sunt, ut me si eas recepero, ipse iugulem. Si iudicāt Prin-  
cipes me collusisse cum aduersarijs, aut delectatum esse  
illa Ecclesiarum perturbatione, non talibus decretis, sed  
palam interficiant me. Multis præstantibus uiris noti  
sunt mei labores, & nota perperua uoluntas. Multi uis-  
derūt meas lacrymas in illis ipsis consilijs, cū de Sphyn-  
ge Augustana deliberaretur. Nunc ut hosti conditio-  
nes feruntur. Qua de re non addo longiorem quere-  
lam. Sed oro, ut Illustrissimus Princeps formam propo-  
sitam leniat sua ἐπιεικεία, quæ lucere in Principe debet.  
Ac mitto responsiones datas Pastoribus Ecclesiarum  
Saxonicarum, quæ etiam ostendunt me pacis cupidum  
esse. Nec ab ijs conditionibus discedo, quanquam illæ  
quoque eo sunt inæquales, quia mihi metę circumdantur,  
Flacio autem cōceditur, ut noua bella moueat. Is repres-  
hendit definitionem Euangelij, in qua pio consilio hæc  
uerba posui: Prædicationem pœnitentiæ. Recens etiam  
in scripto edito taxat dictum, à me in repetitione Con-  
fessionis in capite de Magistratu, positum, ubi discerno  
politicam iusticiam seu externam disciplinam, ab interio-  
re nouitate. Inde excerpit hæc uerba: Iusticia est lux ac-  
censa agnitione & fiducia filij Dei. Hæc calumniosè de-  
prauat. Tales præstigiæ cient plausus apud imperitos.  
Curauit ad me scribi per alium subornatum, ἠδὲ λόγου  
epistolæ

epistolam, quam nemo sine gemitu legere potest. Nunc editis pagellis piam ueterum interpretationem qui declarant, quare Filius dicatur imago, transfert in Basilis den, Et tamen arte occultat, quid ipse de præcipua questione in ea re sentiat. Quæ autem spes pacis erit, si hoc modo perget cauillari quæ uolet? Non genui noua dogmata, sed summam doctrinæ receptæ in his Ecclesijs, ut potui, collegi, & quædam propter iuniores minus horride recitavi. Hæc forma doctrinæ si non placet Flacio, edat aliud doctrinæ corpus, quod si Ecclesiæ anteferēt, nihil repugno. Nunquam sensi me esse ἀναμάσκτηρον, doli potius impediri pias deliberationes & cogitationum collationes, Sed me semper subieci iudicio Ecclesiæ, cumq; Ecclesiam nomino, nō fingo Idæam platoniam, sed Pastores doctos & pios in urbibus Saxonis & Lectores in omnibus Academijs, quæ puram Euangelij uocem sonant, intelligi uolo. Horum iudicio nūc quoq; me subijcio, quorum scio eam esse iusticiam, ut sint seruaturi legem Atticam, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροῦσθαι. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui uere colligit Ecclesiam uoce Euangelij, ut nos omnes gubernet, ac faciat, ut unum simus in ipso. 25. Februarij. 1557.

Philippus Melanthon.

**E**X hoc scripto in præsentia Lectorem de hoc tantum mone-  
nendum putauimus, fuisse in illis conditionibus Theologorum  
Megalopyrgensium etiam quintam Illyrici, sed aliquan-  
to asperius expositam. Nam quod in Flaciana supra sic legitur, Ne  
fiat conciliatio cum Papistis, hoc in horum Theologorum formu-  
la sic fuisse apparet, ut adderetur, ne in gratiam hostium Euange-  
lij hoc fieret. Illam igitur Flacianam cum incredibili lenitate sua D.

P

Præce

Præceptor acceperit, uel potius ut plagam non detrectauerit, cur hanc horum Theologorum intolerabilem iudicauerit, dubitare aliquis posset, etsi res manifesta est. Primum quod in hac expresse falsa causa additur: insimulatur enim quod in gratiam hostium de Adiaphoris cesserit. De quo supra extant in Saxonica narratione disertæ explicationes, in oratione & scripto ad Legatos, etiam in Epistola ad Illyricum nonnullæ. Nam Illustrissimus Princeps Dux Mauricius Elect. etc. ipse sua uoce, quæ consideratio cura & respectus ad illas deliberationes descendere eum cogeret grauissime testatus fuit (quod supra narrat D. Præceptoris oratio) & quod ille nequaquam fefellerit, res postea demonstrauit, qui de Adiaphoris seruitutem in se recipere uoluit, ne quis ulla specie iuris se & suos impetere posset, si doceretur rem non esse pietati Christianæ & ueritati doctrinæ contrariam.

Est autem notissima uox D. Præceptoris qua & ad Illyricum & multos bonos sæpissime usus est, se seruitutē sine impietate ferre posse, sed uocem doctrinæ nunquam se mutaturum, quod sciret hanc æternum & immotum decretum Dei esse. Huius igitur cause additio in formula Megalopyrgensi intoleranda fuit, etsi absque hac etiam si esset, tamen quod concessione huius apud Illyricum in Saxonis tractationibus nihil profecisset, ideo ut tunc eam repudiaret, iustissimam causam D. Præceptor habere potuit. Deinde ne existimari possit, hunc leniorem esse articulum quam Flacianum, quod hic cum conditione causæ talis improbet, quod Flacianus simpliciter damnauerat, considerandum est hoc, quod ex Megalensibus paulo post expresse subiicitur, Etiam si qua uere Adiaphora recipiantur, fieri id cum abnegatione Euangelij. Ita enim accessione atrocitatis huius superior lenitas compensatur, ut ex utrisq; fiat insimulatio talis, & in gratiam hostium atq; assentatione profana de Adiaphoris concessisse nostros, & si quacumq; de causa aut consideratione alia in his rebus cesserint, factos eos tamen illa ipsa cessione proditores ueritatis. Quæ iam intolerabilia esse nemo non intelligit. Et illæ quæ in responsione D. Præceptoris duræ conditiones appellantur, euertunt & damnant consilium & sententiam Lutheri, quæ petentibus quibusdam sua manu descripta ad comitia Augustana misit, quæ habita fuere anno MDXXX. Quod scriptum & Flaciani superioribus annis ediderunt, sed mutilum. Nam ut sanctissimus Princeps Georgius Anhaltinus optima fide de Lutheri manus Archetypo describi curauit,

uit, recepit tum expressis uerbis D. Lutherus: Etiam si de capitibus doctrinae cōtrouersia maneat, se tamen prompto animo externos & Adiaphoros ritus accepturum pacis causa, ea conditione, si conscientia eius illorum usurpatione non oneretur, id est, doctrinae ueritas si salua nostris permittatur. Sed hoc totum in Flaciana illius consilij Lutheri editione nulquam apparet. Quod si exemplum mutilum habuerunt, ignosci eis potest, sin consulto hæc omiserunt corrumpentes alienum scriptum eo loco ubi turbationibus ipsorum officeret, considerent omnes pñ quale hoc genus sit. Hoc uero ita legimus in narratione Principis Georgij quam edidit de actionibus in nostris Ecclesijs de rebus Adiaphoris, lingua Germanica, ubi & plura de similibus consilijs commemorantur, cuius ut reliquæ eximiæ uirtutes, ita fides etiam & integritas spectatissima fuit in rebus maximis, ad quam hoc etiam loco Lectorem remittimus, qui libellus mox denuo ut edatur spem nobis factam supra quoq; indicauimus. Neq; enim de his disputare instituimus, & fiet hoc mox ab alijs qui possunt, etsi absq; hoc de his rebus uerè disputationes extant in nostris Ecclesijs multorum. Quia uero ille Principis Georgij libellus breuior est, & Flacius cum suis, & in genere uniuersas actiones, & sigillatim in certis locis de his rebus deliberata atq; acta infamat, Ideo & de re uniuersa & quid quoquo loco aut tempore a nostris factum sit, accurate describendi laborem suscepisse cognouimus in utraq; Academia coniuncta opera, uiros pietate, doctrina, fide, grauitate præstantes, Præceptores nostros, quæ descriptio seu narratio paulo post ab iisdem Academicis communiter edatur, dum adhuc in uiuis sunt, qui illis actionibus interfuerunt. Quæ opera neq; Illyrici causa suscipitur, neq; contra hunc peculiariter dirigitur, qui eum se esse probat, ut qui cum ipso contendere aut hunc docere conetur, insanire uideri possit. Sed & ueritati consecratur, & posteritati potissimum instituitur, tum si qui nunc etiam non mali mendacis & calumnijs huius seducti ab Ecclesijs & Præceptoribus nostris atq; adeo a partibus honorum alieniores sunt huc usq;. Illam igitur descriptionem ut placide expectent & tantisper dum ea edatur quasi ἐπεχέειν uelint, & oramus & monemus uniuersos qui de aliquibus rebus adhuc, dubitare possunt, quibusq; in aliqua parte hætenus ab Ecclesijs nostris non est satisfactum.

Atq; ut tandem uniuersam narrationem nostram concludamus, Si quis de Flacianis consilijs quæ paulo ante his Megalopyr-

P ij

gensibus

gensibus quasi præfantes explicauimus, de his inquam si quis dubitat, Is nunc hoc etiam coronidis loco consideret quale sit quod de pace & concordia Illyricus agere aut de hoc legatos mittere & tractationes suscipere uideri uult. Nā etsi nemo esse tā inhumanus potest qui non laudet pios conatus eorum, qui arbitrium suum interponere & res ut componeretur laborare studuerunt, Hoc tamen quale est Illyricum de pace legatos mittere? An per nostras Ecclesias pax, ei & qui es non cōceditur? Cogitetur igitur an nostræ Ecclesię ipsū, an ipse nostras Ecclesias & oppugnare ceperit & nūc oppugnet, & ab utris bellum illatum. Neq̄ uero, nisi qui oculis & mente caret, hoc non uidet annum illum iam decimum hostem esse ex professo Ecclesiarum nostrarum, neq̄ non strenuum illum hostem aut quicquā, quod ab hoste harum Ecclesiarum & regionum fieri possit omisisse, facile accusari poterit. Hostis igitur ille & armatus & pugnans quomodo pacem petit ab his quibus bellum & arma infert? Nam pertæsum eum esse oppugnationum hostilium minime apparet. Deinde quomodo ab his petit qui ei non repugnant, sed furere & grassari in se impune sinunt? De quo Epistolæ supra in Saxonica narratione docere possunt. Qua iniuria aut quo malo a nostris Ecclesijs unq̄ est affectus aut nunc afficitur, nisi hoc iniuriam appellare uelit, quod ad tela quæ ab ipso in nostros conijciuntur, unus aut alter scuta obijcere nuper ausi fuere, quodq̄ obiectione tali a corporibus nostrorum illa arcuerint? Cum his igitur exostulabit, quod ictibus illius patere corpora optimorum & sanctissimorum uirorum non permiserint? Nemo eum lædit, nemo molestus ei est nostrorum omnium. Imo tantum uix spacij conceditur, uel roboris etiam inest plerisq̄, ut tueri se aduersus incursiones ipsius paululum audeant & possint. Quomodo petit ab alijs, quod ipse in sua manu habet uniuersum? Præterea quomodo pacem cupere credi potest, qui tales condiciones fert, quæ accipi non possunt? Huiusmodi ferre est nullas ferre aut admittere uelle. Quæ enim est cōditio pacis, in qua ei cum quo pacem facias concedi nihil potest? Et hoc est pacē orare, manu præfigere puppib. arma? Ludit igitur Flacius, uel insultat potius a se oppressis, quæritq̄ causas grauandi hos magis, & ultimam ut docuimus plagam inferendi.

Sed ut tandem finem faciamus, & alijs locis & temporibus reliqua conseruemus, Illyrico si pacem quærit, neq̄ potest neq̄ debet alia ferri conditio, quam de qua a clarissimo uiro, Domino  
Doctor,

Doctore IOHANNE BVGENHAGIO Pomerano,  
quondam Pastore nostro reuerendissimo, qui sanctissime in terris  
uitae suae cursum nuper in religiosa inuocatione Filij Dei clausit,  
euocatus ex hac uita in alteram immortalem: Ab hoc igitur de  
qua Legati Saxonici admonebantur, cum huc in illis tractationi-  
bus de pace uenissent, quemadmodum supra narrat Tertia Epi-  
stola, Nimirum, ut mentiri, calumniari Ecclesias pias optimeq;  
constitutas, sanctissimos oppugnare uiros, uiuos & mortuos, sum-  
mos & infimos contumelijs lacerare, odia incēdere, & Germani-  
am Tribunicijs clamoribus committere desinat, Et ab hac parte  
nihil erit amplius apud nos dissidiorum & turbarum prorsus. In  
qua conditione quae proponuntur eiusmodi sunt, ut a se illum pro-  
mere uniuersa oporteat, ab alijs petere minime possit. Hic igitur  
narrationis nostrae in praesentia finis est. Cuius properatam ope-  
ram ut lectores boni consulant magnopere oramus.

Ihesus Christus filius Dei misereatur Ecclesiae suae, & inno-  
centiam eorum qui multos annos falsissime accusantur & oppug-  
nantur iniustissime, patefaciat, qui est Deus ueritatis &  
dilectionis, Cui laus, honor & gloria seculis  
indefinitis, Amen.

Errata.

E. postremo lege: Sed execratos & profligatos  
a Scholis, etc.

F. prima lege. Ex multo auro Germanico confla-  
tum aureum opus etc.















AB: 44  $\frac{7}{k, 10}$

X 270 1057

Sb.





SCHOLASTICORVM  
ACADEMIAE  
VVITEBERGENSIS AD OM-  
NES PIOS CIVES ECCLESIA RV M,  
quæ unam & eandem communi consensu cum  
ipsis amplectuntur ac profitentur doctrinam,  
ex scriptis Prophetis & Apostolicis repe-  
titam in libro Confessionis Augusta-  
næ & reliquis publicè ap-  
probatis,

EPISTOLÆ DVÆ, TERTIA  
ET QVARTA.

Quarum PRIORE explicantur initia, funda-  
menta & progressiones incendiij Flaciani, & co-  
natus Improbi ipsius FLACII, in conuel-  
lenda paulatim Ecclesiarum nostras-  
rum doctrina.

ALTERA recitatur uera narratio de actio-  
nibus Legatorum Saxoniorum &  
Megalensium.

Addita sunt autem Responsa, quæ dedit Legatis  
PHILIPPVS MELANTHON.

VVITEBERGÆ M. D. LVIII.